QUAESTIONES PLAUTINAE.

QUAE RATIONES INTER VERSUS SINGULOS SENTENTIASQUE INTERCEDANT PLAUTI EXEMPLO COMPROBATUR.

Dissertatio inauguralis

quam ad summos

in philosophia honores ab amplissimo philosophorum Marpurgensium ordine rite impetrandos

scripsit

Guilelmus Appuhn

Hannoveranus.

Marpurgi Cattorum.

1893.

24. IV. 1893.

Typis expresserunt Jaenecke fratres Hannoverae.

Parentibus sacrum.

Index.

In prisca poesi Romanorum tractanda cum hac ipsa aetate multorum virorum doctorum opera versata sit atque inde a Ritschelio leges sermonis veterum illorum poetarum in dies melius agnoscantur, tamen et alia superesse mihi videntur in quae inquiratur, et illud, ut paulo diligentius exponatur, quas rationes in sententiis inter singulos versus distribuendis prisci illi scaenici — nam de his potissimum libet agere — secuti sint. Cuius rei, cum satis digna videatur quae paulo diligentius tractetur, periculum facere mihi est propositum.

Quae rationes inter versus singulos sententiasque intercedant apud eos, qui Saturniis utuntur.

Si nullis omnino cuiusvis gentis exemplis comprobari posset, tamen dubium non esset, quin homines, cum primum versus facere inciperent, unicuique sententiae vel cogitato unum versum attribuerint. Neque opus est late circumspicere: nam ipsorum Romanorum exemplo quodammodo rem possumus intellegere. Ecce enim in manibus sunt illae Saturniorum versuum reliquiae, ex quibus aliquid lucri licet facere. Quid enim, si Livius Andronicus, qui primus Musas latine loqui assuefecit, in versibus singulis sententiisque inter se exaequandis severissimus multoque fuit cautior quam auctor eius Homerus? Nam praeterquam quod natura sua versus Saturnius minime est volubilis et usui lapidariorum magis natus videtur quam quo carmen epicum conscribatur, etiam certis exemplis rem comprobare me posse spero. Conferamus igitur quosdam versus Homericos cum Livi Andronici versione latina:[1])

Hom. od. I, 1: Ἄνδρα μοι ἔννεπε, Μοῦσα, πολύτροπον, ὃς μάλα πολλὰ . . .
Od. lat. frgm. I: Virúm mihí, Caména, ínsecé[2]) versútum.
Hom. od. III, 237 sq.: ὁππότε κεν δὴ
Μοῖρ' ὀλοὴ καθέλῃσι τανηλεγέος θανάτοιο.
Od. lat. frgm. XII: Quandó diés advéniet, quém profáta Mórtast.
Hom. od. VI, 295 sq.: Ἔνθα καθεζόμενος, μεῖναι χρόνον, εἰς ὅ κεν ἡμεῖς
Ἄστυδε [τ'] ἔλθωμεν καὶ ἱκώμεθα δώματα πατρός.

---

[1]) Usus cum Luciani Muelleri libro, qui inscribitur: Der saturnische Vers und seine Denkmäler, Leipzig 1885; praeterea Havetum (de Saturnio Latinorum versu, Parisiis 1880) consului.

[2]) De mensura possis dubitare.

Od. lat. frgm. XX: Ibí manéns sedéto, dónicúm vidébis[1])
Me cárpentó vehéntem meám domúm venísse.
Hom. od. VIII, 480 sq.: οὕνεκ' ἄρα σφέας
Οἴμας Μοῦσ' ἐδίδαξε.
Od. lat. frgm. XXVI: Nam díviná[2]) Monétas fíliá[2]) dócuit.
Hom. od. X, 308 sq.: ἐγὼ δ' ἐς δώματα Κίρκης || Ἤια.[3])
Od. lat. frgm. XXVIII: Toppér citís[4]) ad aédis vénimús Círcae.

Haec fere exempla mihi visa sunt apta, quibus res explicaretur. In carmine fratrum Arvalium in uniuscuiusque metri fine finitur sententia. Reliqui quoque tituli hanc legem firmant, nisi quod in C. Mummi Saturniis, C. J. L. I 541, extat exceptio una; sed ibi leges ipsae Saturnii neglectae videntur. Subiectum et praedicatum semel separata sunt in Vertuleiorum titulo C. J. L. I 1175; accusativus a suo infinitivo abscinditur in lapide Scipionis Barbati C. J. L. I 32 (honc oino — fuise). At molestissima est vocis *terra* collocatio in versibus artificiosis illis Scipionum C. J. L. I 33:

qua ré lubéns te in grémiu, Scípió récipit
terrá, Publí, prognátum Públió, Cornéli.

Quae cum ita sint, non dubito, quin Muellerus Livi Andr. frgm. XXV perperam discripserit; edidit autem:

Nexébant[5]) múlta intér se fléxu nódórum
Dubió.

Rectius fortasse cum Buechelero (nov. annal. vol. LXXXVII p. 340) scribitur:

Nexábant múlto intér se fléxu nódum dúbio;

etiam quod de *nexu* Buechelerus cogitavit, haud displicet, quippe quod non modo sensu, sed etiam allitteratione commendetur. Nec Livi Andronici fragmenti XLI discriptio sana est (cf. Muelleri adnotationem).

---

1) Illud *videbis* Livius suo Marte addidit; eodem artificio usus Cicero illud Simonideum:

Ὦ ξεῖν', ἀγγέλλειν Λακεδαιμονίοις, ὅτι τῇδε
Κείμεθα, τοῖς κείνων ῥήμασι πειθόμενοι.

sic vertit:

Dic, hospes, Spartae nos te hic vidisse iacentes,
Dum sanctis patriae legibus obsequimur.

Unde fluxisse apparet Schilleri versus:

Wanderer, kommst du nach Sparta, verkündige dorten, du habest
Uns hier liegen gesehn, wie das Gesetz es befahl.

2) Pars codd. *diva* cf. Havetum p. 371. *filiam* codd.

3) Cf. Havetum p. 306, qui mihi tamen non persuasit.

4) *citi* codd.

5) *nexabant* codd.

Naevi autem bell. Poen. libri IV frgm. II Muellerus falso sic constituit:

> Transít Melitám Románus[1]), ínsulam íntegram, oram
> Urít populátur vástat; rem hóstiúm concínnat.

Nam illo verbo ***oram*** addito versuum concinnitatem prorsus perire quis non videt? Quemmadmodum tamen locus constituendus sit, non diiudicaverim.

Atque haec quidem hactenus. Saturnius versus epigrammati sit sane aptus; epicae vero et scaenicae poesi non potest satisfacere. Nam illic postquam per breve tempus viguit, versui heroico cessit in perpetuum; in fabulis autem, quae quidem fuerint arte confectae, nusquam adhibitus est, verum una cum Graeca materia etiam forma, quam Graeci scaenicae poesi constituerant, Romam translata est. Itaque ab horum legibus ac consuetudine proficiscendum esse video.

Poesis eorum rudimenta (qualia apud Romanos invenimus) non nota sunt. Homerus arte poetica iam exculta atque expolita utitur; nam et sermo ad usum poetae accommodatissimus est et versus variabilis et volubilis; ad nostram autem quaestionem quod attinet, apparet sententias plerumque illas quidem in fine versus finiri, satis saepe autem prodire extra hunc terminum, at ita, ut varietas versuum ac sententiarum non modo non offendat, verum etiam delectet audientium aures. Verbi gratia in Iliadis E v. 1—469. trecenties quadragies semel (341) in fine versus distinguitur, centies vicies octies (128) sententia versus fine interrumpitur. Si autem interrumpitur, intra alterum versum plerumque sententiam finiri ac graviter aut lenius distingui invenies. Licet autem hoc observare. Si in fine versus sententia non finitur itaque voci recitantis respiratio non conceditur, saepius fit, ut non usque ad solitam caesuram sententia pergat, sed pausa fiat statim in initio insequentis versus (sc. intra primum pedem vel post eum vel post arsin alterius pedis)[2]). Hoc fit exempli gratia illo loco, quem supra dixi (E, 1—469), duodequadragies. Interdum etiam complures versus continui ita ordinati sunt, ut v. 155 sq.: **Apud Homerum.**

> Ἔνθ᾽ ὅ γε τοὺς ἐνάριζε, φίλον δ᾽ ἐξαίνυτο θυμὸν
> Ἀμφοτέρω, πατέρι δὲ γόον καὶ κήδεα λυγρὰ
> Λεῖπ᾽, ἐπεὶ οὐ ζώοντε μάχης ἐκνοστήσαντε
> Δέξατο · χηρωσταὶ δὲ διὰ κτῆσιν δατέοντο.

Maluit poeta sententiam, si cum versu volebat pugnare, potius in initio versus insequentis finiri quam antecedentis in ulterioribus

1) Post ***Romanus*** codd. exhibent: ***exercitus.***

2) De caesura in initio versus hexametri conferendi sunt Christius (Metrik², p. 181) et C. A. J. Hoffmannus (Quaest. Homer. p. 29).

pedibus.[1]) Velut in ultimos duos pedes versus rarissime sententiae finem incidere constat. Quin etiam ante quintum pedem, ubi diaeresis bucolica suum habet locum, rarius, ut videtur — l. s. s. vicies quater accidit — finis sententiae fit quam in insequentis versus initio. Haec autem omnia, sive in ulteriore parte antecedentis versus nova sententia orditur sive in initio insequentis finitur, ad formam magis quam ad sensum pertinere apparet: itaque vox aliqua in versum alterum translata hac ipsa re non debet, quamvis possit, accipere maiorem vim. Velut in versibus 107 sq.:

Ἀλλ' ἀναχωρήσας πρόσθ' ἵπποιιν καὶ ὄχεσφιν
Ἔστη, καὶ Σθένελον προσέφη Καπανήιον υἱόν.

et 309 sq.: Ἔστη γνὺξ ἐριπὼν καὶ ἐρείσατο χειρὶ παχείῃ
Γαίης· ἀμφὶ δὲ ὄσσε κελαινὴ νὺξ ἐκάλυψεν.

sensus, ut videtur, in vocibus ἔστη et γαίης non solito magis est urguendus (potuit e. g. versum concludere: καὶ χερσὶν ἐρείσατο γαίης. cf. etiam illud λεῖπ' v. 157, qui supra citatus est), in ὁππότε κεν δὴ quaeque sunt reliqua, quae in fine sescenties extant, omnino non inest.

Apud Aeschylum. Similia vel etiam graviora apud scaenicos licet observare. Vel apud Aeschylum tetrametrorum quidem severiores leges videntur esse: in Persis e. g. modo bis una vox in alterum versum reicitur, ut v. 708 [2]): κλαυμάτων λήξασα τῶνδε καὶ γόων σαφές τί μοι
λέξον. ἀνθρώπεια δ' ἄν τοι πήματ' ἂν τύχοι βροτοῖς. cf. v. 167.

In trimetris contra persaepe invenies unam quamlibet vocem e sua sententia versuque demptam in proximum versum transferri, ita ut post eam vocem distinguatur. Hoc accidit verbi gratia in Persarum vv. 179—217 et 293—534 vicies quater. Versus sunt hi 179 sq.:

πολλοῖς μὲν αἰεὶ νυκτέροις ὀνείρασι
ξύνειμ', ἀφ' οὗπερ παῖς ἐμὸς στείλας στρατὸν . . .

188 sq.: καὶ κασιγνήτα γένους
ταὐτοῦ· πάτραν δ' ἔναιον ἣ μὲν Ἑλλάδα . . .

Item v. 195. 202. 209. 212. 213. 294. 316. 320. 324. 343. 368. 394. 412. 413. 414. 416. 417. 476. 486. 504. 515. 525.

Contra in ulterioribus versus pedibus nova sententia modo sexies incipit:

214: ante extremum creticum,
457: ante extremum diiambum,

---

[1]) Mansit hic usus, quod sciam, in versibus heroicis cuiusvis aetatis receptusque est in versus elegiacos. Inter Romanos verbi gratia Ovidius, qui in sententiis cum versibus consociandis in elegiacis carminibus, ut decet, fuit severissimus, in Art. am. I, vv. 1—500 undequadragies modo sententiam versus (sc. hexametri; nam in fine pentametri semper gravius distingui apparet) fine interrupit, vicies ter autem ita, ut statim in initio insequentis versus respiratio vel minor vel maior agnoscenda sit.

[2]) Cito sec. Wecklinum.

460: ante extremum creticum,
473: ante extremum diiambum,
489: ante extremam arsin [1]),
500: ante extremum diiambum.

His liceat addere exempla quaedam hinc atque illinc ex Aeschylo collecta, quorum nonnulla editorum dubitationem moverunt; videlicet viri docti modo voces arte cum antecedentibus cohaerentes separare noluerunt, modo tales, quas ad sensum minimum valere intellegerent, in novo versu solas extare non tulerunt. Utrumque autem nihil impedire selecta quaedam doceant exempla. Primum igitur nomen et praenomen sive substantivum sive adiectivum tali modo a reliqua sententia seiunctum in alterius versus initio solum extat cum aliis tum his locis:

Prom. 246 sq.: ὅστις, Προμηθεῦ, σοῖσιν οὐ συνασχαλᾷ
μόχθοις· ἐγὼ γάρ... Item v. 893.
Sept. 64. 498. 519.
Suppl. 295. 946. 976.
Agam. 296. 1404.
Choeph. 126. 987.
Eumen. 79. 92. 193.

His locis substantivum extat; alibi adiectivum invenies, velut:
Prom. 1051.
Sept. 412. 660 (cum emphasi pronunt.). 1008.
Suppl. 1006.
Agam. 537. 1182 (arte c. anteced. cohaer.).
Choeph. 519.

Diligentius observemus eos locos, ubi in alterius versus initio pronomen possessivum additur; quod si fit, aut articulus adest, ut Eumen. 441. 653. Agam. 1592 (cf. 1322) et alibi saepius aut deest, quod multi viri docti non tulerunt.[2]) Apud Aeschylum haec reperiuntur exempla:

Agam. 14[3]): ἔνδροσόν τ' ἔχω
εὐνὴν ὀνείροις οὐκ ἐπισκοπουμένην
ἐμήν· φόβος γαρ . . .
Agam. 1225: ἐκ τῶνδε ποινάς φημι βουλεύειν τινὰ
λέοντ' ἄναλκιν ἐν λέχει στρωφώμενον
οἰκουρόν, οἴμοι, τῷ μολόντι δεσπότῃ
ἐμῷ· φέρειν γὰρ χρὴ τὸ δούλιον ζυγόν.

---

1) Μηλιᾶ τε κόλπον, οὗ || Σπερχειὸς ἄρδει πεδίον εὐμενεῖ ποτῷ, quod non ita saepe fit apud Aeschylum.

2) Non ferentium temptamina satis multa extant apud Wecklinum in appendice.

3) Numerum eius versus, quo illud vocabulum extat, intellegas.

Prom. 1041: τέγγῃ γὰρ οὐδὲν οὐδὲ μαλθάσσῃ λιταῖς
ἐμαῖς· δακὼν δὲ . . .
Suppl. 371: οὔτοι κάθησθε δωμάτων ἐφέστιοι
ἐμῶν [1]). τὸ κοινὸν δ' εἰ μαίνεται πόλις,
Eumen. 581: ἔστι γὰρ δόμων
ἱκέτης ὅδ' ἀνὴρ καὶ δόμων ἐφέστιος
ἐμῶν, φόνου δὲ τοῦδ' ἐγὼ καθάρσιος.
Sunt autem etiam qui in talibus offenderunt:
Suppl. 494: μηδ' ἀπορριφθῇ λόγος
ἐμοῦ· κατ' ἀρχῆς γὰρ φιλαίτιος λεώς.
Choeph. 238: ὦ τερπνὸν ὄμμα τέσσαρας μοίρας ἔχον
ἐμοί· προσαυδᾶν δ' ἔστ' ἀναγκαίως ἔχον . . .

Liceat addere versum et ipsum multifariam temptatum, qui extat Agam. 1590; legitur autem ibi:

Θυέστης μοῖραν ηὗρετ' ἀσφαλῆ,
τὸ μὴ θανὼν πατρῷον αἱμάξαι πέδον
αὐτοῦ· ξένια δὲ τοῦδε . . .

ubi αὐτοῦ post additum fere ἐγκλιτικῶς extat atque inter duos versus in medio. Atque hac ratione omnia eiusmodi exempla mihi videntur explicanda. Maiore vocis vi pronuntiatur demum illud vocabulum, a quo proxima sententia orditur, illud autem „αὐτοῦ", „ἐμοί", „ἐμοῦ", „ἐμῶν" etc. fere devoratur voce. Hoc loco illa ξένια novum quendam atque inauditum horrorem in se habent. Simili modo superiora exempla licet interpretari.

Adverbium exempli gratia a reliqua sententia separatum in altero versu solum extat Prom. 727 et Agam. 1316 (quem locum Hermannus recte restituit).

A nominibus fortasse etiam saepius suum verbum versu avellitur. Ecce nonnulla exempla (plerumque attuli formas disyllabas):

Prom. 676 sq.: Ζεὺς γὰρ ἱμέρου βέλει
πρὸς σοῦ τέθαλπται καὶ συναίρεσθαι Κύπριν
θέλει· σὺ δ', ὦ παῖ, μὴ ἀπολακτίσῃς λέχος . . .

Ibidem 1069.
Pers. 694. 766.
Sept. 566. 634.
Suppl. 492. 507. 620.
Agam. 913. 953. 1040. 1047. 1632.
Choeph. 749. 753.
Eum. 461. 810.

Secrevi autem formas verborum auxiliarium γενέσθαι, quod extat verbi gratia Suppl. 207. Choeph. 1004, et imprimis εἶναι, cuius verbi

[1]) ἐμὸν M. pr. m.; corr. alt. man.

ex Aeschylo omnia, quae memini, exempla affero[1]). Prostat autem his locis:

Prom. 701: ἦσαν.

Suppl. 394: εἶναι. 463: εἶναι. 769: εἶναι.

Agam. 1079: εἶναι. 1084, ubi scribatur[2]):

ἦ μὴν κλέος σου μαντικὸν πεπυσμένοι
ἦμεν, προφήτας δ' οὔτινας ματεύομεν

1123: εἶναι. 1231: ἔστιν.[3])

Choeph. 93: ἔστ', ubi quamvis non distinguatur, tamen ἔστ' artius cum antecedentibus quam cum insequentibus verbis coniungendum est; nempe legitur:

ἢ τοῦτο φάσκω τοὔπος, ὡς νόμος βροτοῖς
ἔστ' ἀντιδοῦναι τοῖσι πέμπουσιν τάδε = στέφη . . .

873: εἶναι. 1030: εἶναι.

Ex ceteris tragicis hoc loco satishabeo afferre, quae exempla Elmsleius ad Eurip. Heraclid. v. 387 emendanda sibi proposuit; sunt autem haec (praeter duo Aeschylea, quae iam supra adhibui):

Eurip. Heraclid. 387[4]): ὁ γὰρ στρατηγὸς εὐτυχὴς τὰ πρὸς θεῶν
ἔστιν, σαφ' οἶδα, καὶ μάλ' οὐ σμικρὸν φρονῶν
εἰς τὰς Ἀθήνας.

Heracl. fur. 1279: ᾧ δ' ἀεὶ κακῶς
ἔστ', οὐδὲν ἀλγεῖ συγγενῶς δύστηνος ὤν.

Eur. frgm. 385, 10[5]): λοξαὶ δ' ἐπ' αὐτῆς τρεῖς κατεστηριγμέναι
εἰσίν· τὸ πέμπτον δ' οὐκ ἐν εὐμαρεῖ φράσαι.

Hos quoque locos reliquorum, quos attuli, similitudine spero defendi, cf. etiam infra e Menandro allata exempla (p. 10).

Atque de tragicis quidem hactenus; Sophoclem enim et Euripidem diligentius tractare, ne longus sim in prooemio, mitto.

Venio nunc ad comicos Graecos. Atque ut hanc quaestionem, qua de uno vocabulo in insequentem versum translato agere instituimus, tandem absolvamus, primum quidem videamus, qualem usum hac in re comici sibi statuerint. Apparet autem tragicorum poetarum consuetudinem liberrimam Aristophanem illum quidem non secutum esse. Nam e. g. verbi εἶναι alterius versus initio inserti, ita ut post **Apud Aristophanem.**

---

1) Scilicet quae in trimetris inveniuntur; tetrametri enim, qui, ut dixi, severioribus legibus utuntur et praeterea rari apud Aeschylum occurrunt, exemplis carent; reliquos autem versus, ut par videtur, omisi.

2) Cf. Kirchhoffii ed. v. 1053.

3) Locus multis modis temptatus est hic:

θῆλυς ἄρσενος φονεὺς
ἔστιν. τί νιν καλοῦσα δυσφιλὲς δάκος || τύχοιμ' ἄν;

4) Sec. Kirchhoffium.

5) Apud Wagnerum p. 711.

distinguatur, modo unum inveni exemplum neque hoc grave; extat Ran. v. 205[1]), ubi haec leguntur:

κᾆτα πῶς δυνήσομαι
ἄπειρος, ἀθαλάττωτος, ἀσαλαμίνιος
ὢν, εἶτ' ἐλαύνειν;

Nimirum poeta illa tria epitheta sola versum implere voluit. Pronominis autem possessivi ἐμός, σός vel οὑμός, ὁ σός in alterum versum reiecti nullum inveni exemplum. Addo quae exempla in trimetris occurrentia e Lysistrate et Pluto mihi memorabilia visa sunt, quamvis omnia, ut dixi, non sint gravia.

E Lysistrate conferantur hi loci: vv. 21. 194. 251. 451. 727. 830. 949. 989. 1005. 1079. 1102. 1181. 1240. 1275.

E Pluto autem hi: vv. 392. 462. 668. 698. 699. 824. 828. 945. 1112. 1117. 1199.

Etiam rariora videntur in tetrametris exempla occurrere, velut Pac. vv. 602. 604. 1186.

Iam videamus cetera. Nam cum a priscis poetis Latinis senarii iambici et septenarii vel octonarii trochaici, iambici, anapaestici ad exemplar trimetrorum et tetrametrorum, quales apud comicos Graecos extant, ficti atque exculti esse videantur, inter comicos autem modo apud Aristophanem satis magnus numerus omnium eorum, quos diximus, versuum nobis servatus sit, operae pretium est noscere, utrum quid intersit inter varios hos versus cum sententiis exaequandos an in omnes valeat una lex. Ex exemplis hinc atque illinc repetitis quid appareat, haec tabella indicet:

Tetrametri trochaici.

Loci.	Numeri quibus indicatur: quot versus adhibiti sint.	Numeri quibus indicatur: quotiens sententia versus fine interrumpatur.	Duriora.
Equit. v. 242—283 ..	42	8	nihil duri.
Nub. v. 575—594 ...	20	7	„ „
v. 607—626 ...	20	5	„ „
Vesp. v. 415—462 om. 418. 419	46	7	„ „
v. 478—525 om. 486. 487	46	11	v. 504 τῶν in fine; sed sequitur vox ampla comice ficta.
Pac. v. 299—337	39	5	nihil duri.
Summa ..	213	43	

i. e. in centenis versibus **20,2** vel semel in quinque fere versibus.

[1]) Sec. Bergkium.

Tetrametri iambici.

Loci.	Numeri, quibus indicatur quot versus adhibiti sint.	Numeri, quibus indicatur quotiens sententia versus fine interrumpatur.	Duriora.
Equit. v. 843—910	68	19	v. 844 ὥστε in fine; v. 876 ὅστις in fine.
Nub. v. 1032—1084	53	11	v. 1058. ὁδὶ μὲν | οὔ φησι ...
Plut. v. 253—289	40	9	nihil duri.
Summa..	161	39	

i. e. in centenis versibus
24,2 vel semel in **4**,13 versibus.

Tetrametri anapaestici.

Loci	Numeri, quibus indicatur quot versus adhibiti sint.	Numeri, quibus indicatur quotiens sententia versus fine interrumpatur.	Duriora.
Acharn. v. 626—658	33	5	nihil duri.
Equit. v. 761—823	63	14	v. 801. ἀλλ' ἵνα μᾶλλον in fine[1])
Nub. v. 314—438	125	19	v. 314 αὗται | αἱ φθεγξάμεναι
Plut. v. 487—597	111	31	v. 532 ἐγὼ γὰρ in fine; 567 ὡς ὁπόταν μὲν in fine.[1])
Summa..	332	69	

i. e. in centenis versibus
21,1 vel semel in **4**,81 versibus.

Trimetri iambici.

Loci	Numeri, quibus indicatur quot versus adhibiti sint.	Numeri, quibus indicatur quotiens sententia versus fine interrumpatur.	Duriora; extat in fine:
Plut. v. 1—252...	252	55	v. 340 ὅπως; v. 639 καί; item v. 752; v. 644 ἵνα, item v. 721; v. 780 ὅτι, item vv. 997. 1001. 1074; v. 878 εἰ (procliticon!) v. 1077 ἐπεί; de elisione in fine versus alibi (at perraro) apud Aristophanem admissa cf. Christium (Metrik² p. 338).
v. 322—486.	165	42	
v. 619—1207	589	164	
Summa..	1006	261	

i. e. in centenis versibus
25,9 vel semel in 3,82 versibus.

---

[1]) Tales exitus apparet ad similitudinem heroicorum versuum conformatos esse, ubi usitatissimi sunt.

Quae cum ita sint, quamvis minime nec mihi neque aliis velim persuadere, si quis alios locos diligenter adhibuerit, futurum esse ut hi numeri prorsus sibi constent, haec tamen videntur apparere:

I. cum quaerimus, quotiens sententia versus fine dissecetur, invenimus tetrametris paulo modo severiorem legem esse quam trimetris.

II. qua ratione autem sententia versus fine interrumpatur cum consideramus, facile cognoscimus liberiorem legem esse trimetris, multo severiorem tetrametris.

Apud novae comoediae auctores.

Restat, ut quid hac in re apud novae comoediae auctores observari possit, paucis astringamus. Videntur autem hi, quantum ex frustis servatis licet agnoscere, omnium liberrimis legibus usi esse in trimetris, non item in tetrametris. Atque ut clarissimo illius aetatis nomine rem comprobemus, ex Menandro [1]) haec affero exempla:

frgm. 223 [2]) v. 12 sq.:

ἀλεκτρυὼν γενναῖος ἐν ἑτέρᾳ τροφῇ
ἔστιν, ὁ δ' ἀγεννὴς καὶ δέδιε τὸν κρείττονα.

frgm. 402 v. 7 sq.: καὶ τὴν ὄψιν ἣν ἐκτήσατο
ὄνος ἐν πιθήκοις τοῦτο δὴ τὸ λεγόμενον
ἔστιν · σιωπᾶν . . .

frgm. 403 v. 1 sq.: οὐκ εἴρηκά σοι
τοῦτ'; εἶτ' ἄρ' οὐχί;

frgm. 481 v. 4 sq.:
(θεωρήσας) τὸν ἥλιον τὸν κοινόν, ἄστρ', ὕδωρ, νέφη,
πῦρ · ταῦτα, κἂν ἑκατὸν ἔτη βιῷς . . .

frgm. 520 v. 1 sq.: μητὴρ τέθνηκε ταῖν ἀδελφαῖν ταῖν δυοῖν
ταύταιν · τρέφει δὲ παλλακή τις τοῦ πατρὸς
αὐτάς, ἅβρα τῆς μητρὸς αὐτῶν γενομένη.

frgm. 530 v. 6 sq.: κακὸν ἔχεις οὐδὲν η [3]) . . . .
ἔστι ην διῆλθες ·

frgm. 547. 548 v. 3 sq.: οὐ σφόδρ' ἐγκρατεῖς
ἐσμέν.

frgm. 674 v. 1 sq.: οὐκ ἐμὸν ἀνοίγειν λανθάνουσαν ἀτυχίαν
ἔστ', ἀλλὰ μᾶλλον κατακαλύπτειν φημὶ δεῖν.

frgm. 676 v. 1 sq.: εἰ τἄλλ' ἀφαιρεῖν ὁ πολὺς εἴωθεν χρόνος
ἡμῶν, τό γε φρονεῖν ἀσφαλέστερον ποιεῖ.

Cf. etiam Anaxippi frgm. 1 v. 40.

---

1) Ceteri novae comoediae auctores tam gravia quam hic raro admiserunt.
2) Sec. Kockium.
3) Reliqua evanuerunt.

Possumus igitur constituere poetam fere quidvis in initio versus tulisse, nisi quod voces plane encliticas respuit [1]). In tetrametris autem talia omnino non inveniuntur.

Iam de fine versuum non opus est verba facere. Exempla enim, quibus res illustratur, satis multa attulit Klotzius (Grundzüge altröm. Metrik p. 188), e quibus apparet vocabulis ἤ, καί (etiam τε καί) οὐ, [2]) formis articuli (etiam procliticis formis, ut ὁ Menandr. 320, 1, ἡ Ephipp. 7, 1), praepositionibus versum [trimetrum!] posse concludi. Erravit tamen Klotzius in eo, quod trimetros ac tetrametros, quasi utriusque versus condicio esset eadem, comprehendit. Nam inter tot trimetrorum exempla tetrametrorum modo affert duo, quorum prius falsum (Antiphan. 194, 10; nempe versus est trimeter), alterum admodum dubium (Aristophon. 4, 5, cum locum vel propter sensum stare non posse intellexerit Kockius). Tetrametris trochaicis multo severiores leges fuisse videas verbi gratia ex his locis:

Antiphan. 204, 205.

Philetaer. 9.

Anaxil. 22, ubi in 31 versibus modo bis in fine versus non distinguitur.

Alexid. 98.

Quod inveni gravissimum est Timocl. 16, 4, ubi vocibus ἀλλὰ γὰρ versus finitur. Iambicorum autem tetrametrorum dolendum est ampliora fragmenta non ita multa extare. Anaxandridae autem in fragmento 34, quod complectitur undecim tetram. iamb., semper in fine versus gravius distinguitur.

Atque haec quidem hactenus. Iam possumus constituere antiquos scaenicos Romanos, cum ad Graecas fabulas „barbare" vertendas aggrederentur, duplicem invenisse artem metricam: primam vernaculam Saturniorum eamque, quod ad nostram quaestionem attinet, Apud priscos scaenicos Romanos.

---

1) Inde quod vox enclitica (ut τε, γε etc.) vel postpositiva (ut δέ, γάρ etc.) non elisa nunquam, quod sciam, in versus initio extat, mihi videtur apparere Christium (Metrik [2] p. 338) frustra esse, qui eo inclinat, ut voces τε, με, δέ etc., si casu fit ut elidantur, in initio versus ferri posse existimet ob eamque rem in talibus versibus ut Soph. Oed. R. 29 sq.:

ὑφ' οὗ κενοῦται δῶμα Καδμεῖον, μέλας δ'
Ἅιδης στεναγμοῖς καὶ γοοῖς πλουτίζεται.

„δ'" alterius versus initio inseri malit, quod omnino non ferendum est. Praeterea illa quoque causa alicuius momenti est, quod non modo voces τε με δέ, sed etiam ampliores, de quibus ne dubitare quidem licet, velut ταῦτ' Oed. R. 332, μολόντ' Oed. Col. 1164 in fine versus eliduntur. Verum iudicaverunt de hac re Rossbachius et Westphalius Theorie d. mus. Künste d. Hell. III, 1, p. 133.

2) Particula postpositiva γάρ omittenda est, quam cur attulerit Klotzius inter gravissima cetera non video; eodem iure potuit affere δέ, μέν etc.

severissimam, alteram Graecorum liberrimam. Quid igitur illi prisci scaenici, Livius Andronicus, Naevius, Plautus facerent? Num asperam ac severam artem Saturniorum retinerent? Minime; nam abhorret a scaenico sermone ac stilo. An liquidae et volubili Graecae arti sese addicerent? Minime; nam et linguae suae ingenium et aures audientium respexerunt. Immo viam mediam ingressi sunt. Sed iam videamus singula.

Quid valeant in hac quaestione leges metricae, quas prisci scaenici sibi statuerunt.

Ac primum quidem numquid leges metricae ad hanc quaestionem potuerint valere, consideremus. Notissimum est scaenicos Romanos senariorum iambicorum et septenariorum trochaicorum leges ita ordinasse, ut solus ultimus cuiusque versus pes iambum sibi postularet. Praeterea in versu finiendo duas alias leges observaverunt: nam et monosyllabon (nisi quod *sum, es, est* interdum extat) in fine poni noluerunt et synaloephen, ut alibi adamaverunt, ita hoc loco evitaverunt (nisi quod *est* in fine non semel eliditur multoque rarius ante pronominis *hic* formas). Quam raro in has leges peccaverint, optime exposuit Guilelmus Meyer [1]).

Postulatur igitur in fine horum versuum aut iambica vox aut polysyllabon in iambum exiens.

Huc accedit alia causa. Licet enim observare, ut ultimus versus pes iambicam vocem flagitat, ita ceteros pedes eam, si modo pro iambo pronuntiatur neque, ut saepius fit, vel eliditur vel pro pyrrhichio stat, aut modo ferre aut omnino respuere. Respuit senarii quintus pes, nisi quae antecedit arsis dissoluta est, atque etiam tum raro accipit talem vocem. Respuit tertius pes, nisi, quod non saepe solet fieri, monosyllabon sequitur. Ferunt reliqui pedes, at ita ferunt, ut neque adament talem vocem et perraro duo continui eam recipiant. Perlustravi exempli gratia Mil. glor. primam scaenam, unde haec apparent [2]):

Versus.	Pes, in quo iambica vox intra versum apparet et pro iambo pronuntiatur.
18.	4. (lectione dubia)
27.	5. (vel potius 4.)
28.	4.
38.	1.
39.	5.

1) Über die Beobachtung des Wortaccentes in der altlateinischen Poesie, quae commentatio extat in Abhandl. d. k. bayrischen Akademie d. Wissensch., philos.-phil. Classe vol. 17; ibi conferendae sunt p. 46 et 47. — Cf. etiam Klotzium (Grundzüge altröm. Metrik p. 246 sq.).

2) Cf. etiam O. Brugmannum (Quemadmodum in iamb. sen. Romani veteres verborum accentum cum numeris consociarint, diss. Bonn. a. 1874).

Versus.	Pes, in quo iambica vox intra versum apparet et pro iambo pronuntiatur.
49.	4.
50.	4.
69.	4.
77.	2.
78.	4.

Neque alia est condicio septenariis trochaicis; videntur enim ex Mil. glor. v. 156—218 haec apparere.

Versus.	Quibus locis iambica voce ex antecedenti pede in alterum transeatur.
158.	$^2/_3$.
166.	$^5/_6$.
167.	$^1/_2$.
169.	$^5/_6$.
172.	$^2/_3$.
173.	$^3/_4$. et $^5/_6$.
188.	$^2/_3$.
189a.	$^1/_2$.
189b.	$^2/_3$.
190.	$^1/_2$.
192.	$^1/_2$.
193.	$^5/_6$.
198.	$^2/_3$.
204.	$^1/_2$. et $^5/_6$.
207.	$^5/_6$.
210.	$^2/_3$.
213.	$^4/_5$.
214.	$^5/_6$.

Licet igitur suspicari poetam vocabulum iambicum, ubi eo opus esset, libenter in fine versus collocasse. Huic rei in hac, quam tractamus, quaestione hic atque illic aliqua ratio habenda est. Observamus verbi gratia vocibus *mihi* et *tibi*, ut sunt frequentes, saepissime versum finire poetae placuisse. Exempla eius rei afferam infra (p. 45).

Versus in trochaeum exeuntes, cum non tam gravibus legibus adstricti esse videantur, hoc loco mitto. (Cf. Klotzium l. s. s. p. 227 sq.)

Quomodo his legibus respondeat linguae latinae natura ac consuetudo sermonis pedestris.

Nec cum his legibus metricis, quas in versibus concludendis sibi statuerunt veteres scaenici, repugnat ipsa linguae natura. Quid enim? si etiam in pedestri oratione veteres et linguae natura invitante neque auribus respuentibus saepe adhibuerunt iambicas clausulas? Cuius rei vel inter Graecos clarissimus auctor est Aristoteles, qui Reth. III, 8. de rythmis orationis agens sic praecipit: τὸ δὲ σχῆμα τῆς λέξεως δεῖ μήτε ἔμμετρον εἶναι μήτε ἄρρυθμον .... ὁ δ' ἴαμβος αὐτή ἐστιν ἡ λέξις ἡ τῶν πολλῶν· διὸ μάλιστα πάντων τῶν μέτρων ἰαμβεῖα φθέγγονται λέγοντες. neque aliter Poet. 4. in fine, ubi de dialogi forma aptissima verba facit: λέξεως δὲ γενομένης αὐτὴ ἡ φύσις τὸ οἰκεῖον μέτρον εὗρε, μάλιστα γὰρ λεκτικὸν τῶν μέτρων τὸ ἰαμβεῖόν ἐστιν· σημεῖον δὲ τούτου, πλεῖστα γὰρ ἰαμβεῖα λέγομεν ἐν τῇ διαλέκτῳ τῇ πρὸς ἀλλήλους. Adsentitur Cicero Orat. 188: *Perspicuum est igitur numeris astrictam orationem esse debere, carere versibus*... ib. 189: *Incidere omnis* (sc. pedes) *in orationem etiam ex hoc intellegi potest, quod versus saepe in oratione per imprudentiam dicimus. quod vehementer est vitiosum, sed non attendimus neque exaudimus nosmet ipsos. senarios vero et Hipponacteos effugere vix possumus*[1]*; magnam enim partem ex iambis nostra constat oratio.* ib. 215 dicit creticos se non plane reicere, alios tamen anteponere; ib. 218 dochmium quovis loco aptum esse, dum semel (non bis continue) ponatur. —

Inter viros doctos nostri aevi clausulas Ciceronianas diligenter perscrutatus est Georgius Wuestius (De clausula rhetorica quae praecepit Cicero quatenus in orationibus secutus sit, diss. Argent. 1881). Novam vero viam ingeniose investigavit nuperrime Guilelmus Meyer (Gött. Gel. Anz. 1893, 1.), qui clausulas apud inferiores scriptores usitatas plerasque creticis pedibus dimetitur admissis tamen etiam iambicis et trochaicis. Nobis ad nostram quaestionem aptius visum est creticas cum iambicis clausulis comprehendere hasque (ascendentes) separare a ceteris omnibus. Exempla, quae subicio, magnam partem debeo Theodoro Birtio, qui cum alibi tum in hac parte quaestionis meae benigne me adiuvit.

Clausulae iambicae[2] in Cic. epist. I, 1. occurrunt hae:

satisfacio omnibus.
esse acerbam putem.
si qui sunt qui velint.
ad Pompeium deferri volunt.

---

[1]) Ut Catil. I, 2: *senatus haec intellegit, consul videt.* Cf. Volkmannum (d. Rhetorik d. Griech. u. Röm.[2]) p. 521 sqq. et Birtium apud Natorpium Die Ethika des Demokritos (1893) p. 188 sq. Animadvertas vero velim unum, quod vero senario est proprium, deesse: caesuram.

[2]) Creticis semper adnumeratis.

invidia comprobat.
fugiat, non desistimus.
relinquit locum.
sic egit causam tuam,
agere potuerit,
amoris erga te sui.
saepe iam re(t)tulit.
ab eo deduci non potest.
de exercitu —
teneri enim res aliter non potest —
senatus retineat.
praeter Servilium,
adsentitur Volcatio.
adsentiri Volcatio.
hominum suspitio,
gratificari putant.
antequam profectus es,

Occurrunt igitur in hac epistula clausulae iambicae viginti una.

Addo Cic. epist. V, 5, ubi ex duodequinquaginta clausulis viginti tres iambice, viginti quinque aliter cadunt; quod intellegas ex hac tabella:

Clausulae iambicae.	Clausulae aliter cadentes.
esse ostenderem —	nisi commendaticias —
cum T. Pomponius,	satis apud te valere,
maxime conscius,	qui me rogarent,
nostri amantissimus,	ad te proficisceretur,
officia desiderem	scribendum putavi,
videri debeat;	facere non possem.
a me in te profecta sunt,	quae ad honorem,
quae ad tuum commodum,	quae ad dignitatem pertinerent:
relatam esse gratiam,	tu es optimus testis,
non audeo dicere,	ex multis audivi;
quae ad me delata sunt,	id ipsum verbum ponam,
malo te ex Pomponio,	in me solere conferri.
litteris cognoscere.	molestă fuerunt,
Romanus testis est;	officio fuerit,
quantum mihi debeas,	erga me fueris,
ceteri existimant.	existimare potes;
posteaque constantia;	antea feci,
laborem desiderant:	sed reliqua, mihi crede,
ingrata esse sentiam,	perdere videbor,
quae sint et cuius modi,	viribus sustinebo;
ex Pomponio cognoscere.	insanire videar.
confido te facturum esse omnia,	ita commendo,
tamen abs te hoc petam,	amoris erga me,
	negotio ostendas:
	gratius facere potes.

Iam Petronii sat. cap. 57 priorem partem dissolvi in membra talia:

iambice cadentia.	**aliter cadentia.**
intemperantis licentiae,	et usque ad lacrimas rideret
manibus eluderet	supra me discumbebat,
Trimalchionis excanduit,	et ,quid rides' inquit ,vervex'?
lautitiae domini mei?	tu enim beatior es
et convivare melius soles.	balatum duxissem.
ita tutelam huius loci habeam propitiam,	qui rideatur alios;
secundum illum discumberem,	larifuga nescioquis, nocturnus,
qui non valet lotium suum.	si circumminxero illum,
quid habet, quod rideat?	nesciet qua fugiat.
eques Romanus es:	soleo cito fervere,[1])
et ego regis filius.	vermes nascuntur.
quam tributarius.	ridet.
spero me sic vivere,	fetum emit lamna?
capite aperto ambulo;	quare ergo servivisti?
nemini debeo;	dedi in servitutem
ventres pasco et canem;	ut nemini iocus sim.
sevir gratis factŭs sum;	homo inter homines sum,
tam laboriosus es,	habui nunquam;
in alio peduclum vides,	in foro dixit:
in te ricinum non vides.	redde quod debes.
ecce magister tuus;	glebulas emi,
	lamellulas paravi;
	meam redemi,
	manus tergeret; (an *tergĕret*?)
	pro capite solvi;
	sic moriar,
	non erubescam.
	non respicias?
	ridiclei videmur;
	homo maior natus:
	placemus illi.

Videmus igitur ex LII membris orationis XXI iambice, XXXI aliter cadere. Adicio ex Petron. cap. 111. 112. enotatas has clausulas iambicas XXXVI:

prosequi crinibus
frequentiae plangere,
potuerunt abducere,
femina ab omnibus
in conditorium,
turbatus substitit.
non posse feminam pati,
cenulam suam
gemitu pectus diduceret:
mulierculae cibum,

[1]) Quanquam cap. 123. vers. 214. a *fervĕre Germano* vers. heroic. incipit.

victam manum,
potione et cibo
inquit, ‚hoc tibi‘,
sepelieris,
spiritum effuderis?
vis tu reviviscere?
quam diu licuerit,
lucis commodis frui?
sumere aut vivere.
pertinaciam suam,
replevit se cibo
ut matrona vellet vivere,
eius aggressus est.
quid diutius moror?
ac tertio die,
laxatam custodiam,
circumscriptus dum desidet,
cadavere crucem, (?)
exspectatúrum iudicis sententiam, (!)
sed gladio ius dicturum ignaviae suae.
illa perituro locum
‚ne istud‘, inquit, ‚di sinant‘,
quam vivum occidere.
prudentissimae feminae,
populus miratus est,
isset in crucem.

Atque haec quidem hactenus. Apparet enim clausulas iambicas scaenicis poetis vel ex ingenio suae linguae satis facile suppetiisse.

Iam videamus cetera. Est autem usus non antiquorum scaenicorum proprius, sed omnium fere cuiusvis aetatis poetarum Latinorum communis, ut paromoeoseos, quam vocant Graeci, ornamento orationem distinguant. Paromoeoseos vel allitterationis quae sint rationes, non opus est exponere, quia cum alii tum Ludovicus Buchhold (de paromoeoseos [allitterationis] apud veteres Romanorum poetas usu, diss. Lips. a. 1883.) bene hac de re disputavit. Conferendus est etiam Lorenzius, qui imprimis in praefatione ad Plauti Pseudolum (p. 36 sqq.) ornamenta Plautini sermonis scite disposita tractavit. Ad rem mihi propositam quod attinet, unum postulo ut concedatur: contendo enim multo efficaciorem esse allitterationem, si vocabula tali modo praedita, praesertim ubi modo duo extant, uno versu comprehenduntur. Exceptiones huius rei raro occurrunt, velut Most. 23: **De allitteratione quae dicitur.**

Amícas emite, liberate: *p*ascite
*P*arasítos: obsonate *p*ollucibiliter.

ubi tamen tres voces allitteratione utuntur; praeterea hoc loco poeta imperativos *emite liberate pascite* noluit disiungere, qua de re vide

quae exposui infra (p. 19). Fortasse quispiam etiam Most. 638 allitterationem vult agnosci, sc. si pro *ph* pronuntiatum esse *p* statuimus:

Euge, *Ph*ilolaches (i. e. *Pilolaces*)
*P*atríssat: iam homo in mercatura vortitur.

cf. etiam Rud. 1045. 1191. 1348. Asin. 397. Quid? si poetae eo devenerunt, ut etiam insolita verba non respuerent, dummodo huius maxime amati ornamenti potestatem facerent? Rem intellexit Lorenzius, qui (p. 37) exempla affert, ut Pseud. 211: *(olivi) Dýnamin domi habent maxumam* et Pseud. 743:

Eúgepae: lepide Charine, meo me ludo lamberas.

quorum exemplorum numerum augere nihil refert.

Quae cum ita sint, quid, quaeso, est verisimilius magisque consentaneum quam poetas in versibus discribendis id summo opere cavisse, ne verba, quae paromoeosi coniungere liceret, versus fine distraherent? Itaque allitterationis gratia factum est ut sententiae versus modum excederent. Quo magis res appareat, pauca exempla liceat afferre.

Mil. glor. 162: Quód ille gallinam aut columbam se sectari aut simiam
Dícat, disperistis, ni usque ad mortem male mulcassítis.

Mil. glor. 413: Quae me ín locis Neptuniis templisque turbulentis
Servávit, saevis fluctibus ubi sum adflictata multum.

Mil. glor. 1161: Mílitem lepide et facete et laute ludificarier
Vólo. # Voluptatem mecastor mi imperas.

Pseud. 434: quid novom, adulescens homo
Si amát, si amicam liberat?

Rud. 643: Quíbus advorsum ius legesque insignite iniuria hic
Fáctast fitque in Veneris fano.

Rud. 657: I obsecro intro, subveni
Íllis. # Iterum autem inperabo?

Bacch. 554: Nám ni ita esset, tecum orarem ut ei quod posses mali
Fácere faceres. # Dic modo . . .

Men. 156: Oculum ecfodito per solum
Míhi, Menaechme, si ullum verbum faxo, nisi quod iusseris.

Most. 162: Hac íllast tempestas mea, mihi quae modestiam omnem
Detéxit tectus qua fui, quom mihi Amor et Cupido
In péctus perpluit meum.

Item in canticis, velut Men. 112:

Praéterhac sí mihi tále post húnc diem
Fáxis, faxó foris vídua visás patrem.

Similia hic atque illic etiam in fine versus licet observare, velut Most. 450: Quidum? # Sic: quia
Foris ámbulatis.

Pseud. 336 (ubi tamen in fine versus distinguitur):
Quidum? # Sic: quia,
Sí ego emortuos sim, Athenis te sit nemo nequior.

Item Trin. 884: Quid ita? # Quia, pater,
Si ánte lucem ire hercle occipias...

Similiter in canticis, ut Most. 739 (sc. secundum codicum discriptionem):
Eí. # Quid est? # Mé miserum,[1]) óccidi. # Quí? # Quia
Vénit navis nóstrae navi quaé frangat ratém.

Interdum autem et in initio versus et in fine allitteratio agnoscenda est; cuius rei gratia poetas sententias versu interrumpere non dubitasse luce est clarius. Affero verbi gratia Men. 1090:
Post eandem patriam ac patrem
Mémorat. meliust nos adire atque hunc percontarier.

Eadem est ratio, quamvis aliam praebeant speciem, talibus locis ut Capt. 764: Neminis
Miserére certumst, quia mei miseret neminem.

Ac de allitteratione hactenus. Iam non magis ad formam quam ad sensum pertinent ei loci, ubi eadem vocum genera ac formas poeta noluit dissecari, velut Men. 476: **De causis rhetoricis grammaticisque.**
Prandí, potavi, scortum accubui: apstuli
Hanc quóius heres nunquam erit post hunc diem.

Men. 690: Patiar: tibi habe, abi, aufer: utere
Vél tu vel tua uxor.

Most. 1160: Faénus, sortem sumptumque omnem, qui amica emptast, omnia
Nós dabimus, nos conferemus, nostro sumptu, non tuo

ubi in altero versu aliquid valet etiam allitteratio.

Cas. 767: Vilícus hic autem cum corona candide
Vestítus lautus exornatus ambulat.

ubi verba *candide* et *vestitus* artissime cohaerent; accedit in priore versu allitteratio.

Mil. glor. 775: Érus meus ita magnus moechus mulierumst, ut neminem
Fúisse aeque neque futurum credo.

Observanda est hic quoque allitteratio.

His manifestiora magisque memorabilia videntur ea exempla, ubi alicuius personae oratio verbo quodam finitur, eiusdem autem verbi

[1]) Post *miserum* hiat oratio.

alia forma alia persona orationem illius excipit. Qua in re observandum est, id quod etiam alibi apud poetas atque apud Plautum saepissime solet fieri: ubi unius vocis complures formae continuae extant, una cum forma etiam numeros ac pronuntiationem solere variari. Hoc modo non solum paromoeosis satis efficax existit, sed etiam tota sententia miram quandam vim gravitatemque accipit. Extat verbi gratia [1]) Mil. glor. 553:

Et mé despexe ad te per inpluvium tuom
Fateór. # Quid ni fateare egomet quod viderim?

Mil. glor. 555: Et ibi ósculantem meum hospitem cum ista hospita
Vidísti? # Vidi: cur negem quod viderim?

Bacch. 882: Ducéntos nummos aureos Philippos probos
Dabín? # Dabuntur inque: responde. # Dabo.

Venio nunc ad eos locos, quibus illustratur sensui in versibus discribendis aliquantam rationem esse habitam. Huius rei nobilis est auctor Donatus ad Ter. Andr. IV, 3, 2 sqq., ubi est:

Summúm bonum esse erae putavi hunc Pamphilum,
Amícum, amatorem, virum in quovis loco
Parátum: verum ex eo nunc misera quem capit
Labórem! facile hic plus malist quam illic boni.

Adnotat enim *dolorem* (lege: *laborem*) citans: „Dolorem distingue probe et post intulit separatim, quod sequitur *facile hic plus mali est,* in dolore scilicet et metu amittendi *quam illic boni,* in voluntate retinendi." Sic Klotzius ille quidem Donati verba edidit; quanquam rectius scribitur secundum Umpfenbachium *Dolorem distinxit Probus; et post etc.;* nam Probus etiam alibi in distinctione auctor adhibetur, ut ad Eun. I, 1, 1.

Alia quaedam eaque, ut spero, apertiora exempla e Plautinis fabulis liceat afferre; quorum scilicet ea natura est, ut in insequentem versum una vox transeat, propterea quia ad hanc unam sententia proximi versus relationem habet.

Capt. 159: Multís et multigeneribus opus est tibi
Milítibus: primumdum opus est Pistorensibus,

ubi *militibus* ad vocem *Pistorensibus* subaudiendum esse vel v. 164 comprobat, ubi legitur:

Iam máritumi omnes milites opus sunt tibi.

Capt. 609. Tace modo: ego te, Philocrates
Fálse, faciam ut verus hodie reperiare Tyndarus.

[1]) Idem nimirum etiam saepius fit sententia versus fine non interrupta velut Bacch. 244. 402. 727. alibi.

Capt. 776: Nunc ád senem cursum capessam hunc Hegiònem, quoi boni
Tantum ádfero, quantum ipse a divis optat atque etiam amplius.

Most. 599 [1]: Quin non peto
Sortem; ílluc primum faenus reddundumst mihi.

Sic ex cod. A scribendum est; locus legatur apud Ussingium vel apud Studemundum (in apographo cod. A.); in Palatinis enim desunt hi versus.

Most. 626: Huice debet Philolaches
Paulúm. # Quantillum? # Quasi quadraginta minas.

Locum frustra temptavit Ritschelius.

Most. 775: Alexándrum magnum atque Agathoclem aiunt maxumas
Duo rés gessisse: quid mihi fiet tertio.

Mil. glor. 508: Quod cóncubinam erilem insimulare ausus es
Probrí pudic‸am meque summi flagiti.

Mil. glor. 701: Dí tibi propitii sunt: nam hercle si istam semel amiseris
Líbertatem, haud facile in eundem [2]) rusum restitues locum.

Ad verbum *restitues* subaudiendum est *libertatem*; quod multo difficilius potuisse fieri apparet, si verbi gratia sic scripsisset poeta:
nam hercle si libertatem semel
Pérdideris, non facile in eundem r. r. l.

Rem minime intellexit Palatinorum redactor, qui *te* inseruit.

Truc. 421: Postíd ego tecum, mea voluptas, usque ero
Adsíduo. # Immo hercle vero adcubuo mavelim.

Haec fere habui, quae in universum hac de re dicerem. Iam paucis exponam, quas rationes in exemplis e fabulis Plauti — huius potissimum exemplo utar — colligendis atque ordinandis secutus sim.

Dispositio secundum versuum genera. Primum igitur cum in varia versuum genera minime eadem valeat lex — quod ut supra Graecorum exemplo comprobavi, ita apud Latinos quoque poetas fieri a principio licet suspicari — haec distinxi genera tria:

I. versus longiores,

quo nomine septenarios trochaicos et iambicos comprehendi,[3]) quibus

---

[1]) 588. Usingii ed.

[2]) *In te eundum* Pal.

[3]) Quanquam minime me praeterit quibusdam in rebus eos versus, qui in trochaeum exeunt (sept. iamb. et anapaesticos et si forte quos afferam octon. troch.

addi volo Mil. glor. act. IV. sc. 2 posteriorem partem septenariis anapaesticis conscriptam (vv. 1011—1093) et Trin. act. IV. sc. 1 conscriptam octonariis [1]) anapaesticis (vv. 820—839).

II. senarios iambicos.

III. cantica vel lyricos versus.

Genus tertium, cum horum versuum discriptio saepius non constet, in hac quaestione, quippe quae exempla quam certissima desideret, fere semper omitto. — Attuli autem omnia, quae vel aliquid docere posse existimabam, ex his fabulis tribus: Trinummo, Pseudolo, Milite glorioso; ubi tamen potuit prodesse, ceteras quoque excussi. Hae autem tres fabulae tot offerunt versus ac tales:

---

intellego) suis legibus eisque, ut videtur, liberioribus uti. Distinguamus, si placet, inter formam et sensum:

1. Ad formam versuum in trochaeum exeuntium quod attinet, observandum est et observatum a viris doctis (cf. Klotzium p. 223, qui tamen non admodum placet et Christium Metrik[2] p. 341) apud Romanos arsin ultimam saepius dissolvi, quod intellegas ex his:

Locus.	Numeri versuum.	num., quo ind., quotiens ultima arsis dissolvatur.
Mil. glor. 354—425. h. e. 71 versus.	sept. iamb.	9
Mil. glor. 874—946. h. e. 71 versus.	sept. iamb.	9
Mil. glor. 1216—1283. h. e. 68 versus.	sept. iamb.	15
Mil. glor. 1011—1093. h. e. 82 versus.	sept. anap.	12

Praeterea animadvertendum est ultimam thesin longam esse solere; cuius rei comprobandae causa exempla cumulare nihil refert; vide v. g. Mil. 354 sqq., ubi versus concluduntur vocibus: mírūmst, edocébō, supérfīt, recédām, quídvīs etc.

Nec minus monosyllabon, quod in versibus in iambum exeuntibus perraro occurrit, horum in fine saepius extat, velut

Mil. glor. IV, 6: 1227. 1234. 1238. 1250. 1253. 1261. 1270.

Asin. 381—503: 383. 411. 429. 446. 469. 481. 482. 487. 493. 501.

2. Ad sensum quod attinet (sententiam versus fine interruptam intellego) observandum est in versibus in trochaeum exeuntibus saepius in extrema parte versus — velut in ultima arsi, quod non semel fit — novam sententiam incipere. Hoc in versibus in iambum exeuntibus ita fieri non facile invenies vel certe multo rarius. Ex Asinaria verbi gratia huc pertinent hi loci:

vv. 422. 429. 482 (?) 487. 493. 585 (?) 598. 609. 616. 674.

Loci infra suis locis redibunt ibique tractabuntur; cf. etiam infra p. 35. Tamen praesertim cum Trinummus et Pseudolus septenariis iamb. et anap. omnino careant, novum genus versuum in exemplis colligendis statuere plerumque nolui, sed una cum septenariis troch. comprehendi.

[1]) Nam Ritschelius octon. troch. constituens mihi non persuasit.

Trinummus.

A. Versus longiores.

vv.	301—391	=	91	sept. troch.
	602—728	=	127	„ „
	820—839	=	20	oct. anap.
	843—997	=	155	sept. troch.
	1008—1092	=	85	„ „
	1125—1189	=	65	„ „
	Summa	=	543	versus longiores.

B. senarii iambici.

vv.	23[1])—222	=	200	
	392—601	=	210	
	729—819	=	90	
	998—1007	=	10	
	1093—1114	=	22	
	Summa	=	532	senarii iambici.

Pseudolus.

A. versus longiores.

vv.	265—393	=	129	sept. troch.
	604—766	=	165	„ „
	951—997	=	45	„ „
	1136—1245	=	111	„ „
	Summa	=	450	versus longiores.

B. senarii iambici.

vv.	3—132	=	129	
	394—573b	=	184	
	767—904	=	137	
	998—1102	=	91	
	Summa	=	541	senarii iambici.

1) Prologos semper omitto.

Miles gloriosus.

A. versus longiores.

vv. 156—353	=	198	sept.	troch.
354—425	=	72	„	iamb.
426—480	=	55	„	troch.
596—812	=	217	„	„
874—946	=	71	„	iamb.
947—1010	=	62	„	troch.
1011—1093	=	82	„	anap.
1137—1215	=	78	„	troch.
1216—1283	=	68	„	iamb.
1311—1377	=	67	„	troch.
1394—1437	=	44	„	„
Summa	=	1014	versus longiores.	

B. Senarii iambici.

vv. 1—78	=	78
481—595	=	112
813—873	=	58
1094—1136	=	43
1284—1310	=	27
1378—1393	=	16
Summa	=	334 senarii iambici.

Adhibui igitur, ubi his tribus fabulis me continui, 2007 versus longiores, 1407 senarios iambicos; quod scire interest ad exempla recte iudicanda. — Ratus autem sum sententiam versu non dissecari:

Exclusio eorum, quae sunt tolerabilia quam maxime.

I. si qua integra sententia secundaria inseritur; nam si inseritur, et ante se et post se voci dat respirationis satis; itaque non est, in quo quis offendat, si versus aut finitur aliqua sententia secundaria, ita ut in initio insequentis versus sententia primaria pergat, aut si qua in initio insequentis versus incipit sententia secundaria. Hinc verbi gratia habent excusationis satis et Mil. glor. 183:

nisi quidem illa nos volt, qui servi sumus,
Própter amorem suom omnis crucibus contubernalis dari.

quaeque sunt talia, et Mil. glor. 449:

immo vi atque ingratiis,
Nísi voluntate ibis, rapiam te domum.

et cetera eius generis; graviora quaedam tamen quam brevissime adnotavi, velut Pseud. 336:

Quidum? # Sic: quia,
Sí ego emortuos sim, Athenis te sit nemo nequior.

In huius modi exemplis in fine versus solet distingui ab editoribus. Huc autem pertinent etiam eiusmodi sententiae relativae vel interrogativae, quibus aliqua pars sententiae primariae exprimitur, ut subiectum, obiectum etc.; verbi gratia affero Mil. glor. 197:

Dúm ego mihi consilia in animum convoco et dum consulo
Quíd agam, quem dolum doloso contra conservo parem.

similiter Mil. glor. 1204:

donavi dedi [1])
Quaé voluit, quae postulavit.

In fine huius modi versuum solet non distingui ab editoribus.

II. Si qua sententia secundaria correpta extat, i. e. si ex sententia primaria aliquid simul in sententia secundaria subaudiendum est, ut Mil. glor. 17:

Quoius tú legiones difflavisti spiritu
Quasi véntus folia aut paniculum tectorium.

Huc pertinent talia quoque exempla, quae paulo graviora possunt videri, sc. ubi sententia sec. corr. parvum spatium obtinet, ut Mil. glor. 457:

tam east quam potis
Nóstra erilis concubina.

III. Si sententia coordinata, ut ita dicam, vel integra vel correpta per particulas *et que atque neque aut* etc. additur, velut Mil. glor. 640:

Ét ego amoris aliquantum habeo umorisque etiam in corpore
Néque dum exarui ex amoenis rebus et voluptariis.

vel infinitivi quaeque sunt talia, ut Mil. glor. 11:

Tam béllatorem Mars se haud ausit dicere
Neque aéquiperare suas virtutes ad tuas.

Posui tamen talia exempla, ubi non tam sententia nova quam verbum aliquod his particulis additur, ut Men. 99:

non abit, verum educat
Recreátque.

IV. Si appositiones quae dicuntur tam amplae adduntur, ut totum fere versum expleant, ut Pseud. 5:

Duorúm labori ego hominum parsissem lubens:
Mei té rogandi et tis respondendi mihi.

V. Si enumerationes comice fictae extant sive maiores ut Men. 235 et alibi saepissime sive minores ut Mil. glor. 29. 541. — Quas quinque condiciones si observamus, primum quidem quotiens fere Plautus sententiam versus fine interruperit, haec tabella aliquid doceat: **Quotiens fere sententia per versus finem discindatur.**

---

[1]) *dere* codd.

A. in versibus longioribus.

Numerus, quo indicatur quot versus adhibiti sint.	Numerus, quo ind. quotiens sententia versus fine interrumpatur.
in Mil. glor. 1014	119 i. e. in centenis versibus **11,7** vel semel in **8,52** v.
in Trin. 543	64 — **11,8** vel semel in **8,48** v.
in Pseud. 450	40 — **8,9** vel semel in **11,25** v.

B. in senariis iambicis.

in Mil. glor. 334[1])	61 — **18,3** vel semel in **5,48** v.
in Trin. 532	73 — **13,7** vel semel in **7,29** v.
in Pseud. 541	69 — **12,8** vel semel in **7,84** v.

Hos tamen numeros, praesertim cum nonnullis locis liceat dubitare, utrum sententia interrupta agnoscenda sit necne, non ita volo urgueri. Videtur autem poeta non prorsus sibi constare; nec mirum est: nam si perfacile currit oratio, natura fit, ut ultra unius versus spatium procedat sententia; sin autem sententiae singulae solute sunt positae talesque sunt, quae graviter cadant in aures, uno metro amant finiri. Conferantur e. g. Pseud. vv. 853—865, ubi Ballio conceptis verbis servo sua imperia mandat; hoc loco in fine uniuscuiusque trimetri distinguitur idque plerumque graviter. Eadem est condicio sententiarum communium, moralium, proverbialium. Huius rei optimum exemplum praebent Publili Syri sententiae et inter Graecos Μενάνδρου γνῶμαι μονόστιχοι. — Hoc tamen ex numeris supra positis licet colligere, id quod etiam exspectes, severiorem legem esse versibus longioribus, liberiorem senariis iambicis.

Praeterea observandum est raro unam sententiam plus duorum versuum spatii obtinere; plerumque, si extra suum versum procedit sententia, tamen certe in altero versu finitur. Exceptiones huius rei in Mil. glor. modo duae mihi videntur memorabiles:

v. 173 sqq.: De tegulis
Módo nescioquis inspectavit vostrum familiarium
Pér nostrum inpluvium intus apud nos Philocomasium atque hospitem
Ósculantis.

Multo minus offendit alter locus:

v. 563 sqq: nam hominem servom suos
Domitós habere oportet oculos et manus
Orátionemque.

[1]) Prologis et hic et alibi omissis.

Addo e Pseudolo unum locum:

v. 729 sqq: modo
Qui á patre advenit Carysto necdum exit ex aedibus
Quóquam, neque Athenas advenit umquam ante hesternum diem.

vv. autem 704 sqq. e comice cumulata verborum copia petunt excusationem.

Qua ratione sententia inter duos versus distribuatur exemplis comprobatur.

Iam sequuntur exempla, quibus demonstrare volo, quaenam rationes apud Plautum inter versuum singulorum ac sententiarum finem intercedant. Ordinavi nimirum exempla eo consilio, ut quae gravissima essent, quam maxime apparerent. Interdum idem exemplum bis attuli. In versibus citandis summo opere cavi, ne quid omitterem, quod aliquid posset valere cum ad sententiam tum ad hanc quaestionem intellegendam; ubi igitur versus non integros posui, scito ante verba citata et post levius aut plerumque gravius distingui. Variam lectionem et nomina virorum doctorum vide apud Ritschelium in apparatu critico; ego modo ea consuevi afferre, quae in hanc rem pertinent. Denique non omnia ubique exempla exscribenda esse putavi, sed in uno quoque capite nonnulla, reliqua vero numeris tantum citatis subiunxi.

I. Accusativi cum infinitivo quae dicitur constructio integra aut verbum regens sequitur aut antecedit.

A. in versibus longioribus.

Pseud. 1157: vides
Iám diem multum esse?

Mil. glor. 177: suspicor
Mé perisse.

337: atque arguo
Eám me vidisse osculantem hic intus cum alieno viro.

1161: Mílitem lepide et facete et laute ludificarier
Vólo. # Voluptatem mecastor...

Volo initio alterius versus tribuunt ABCD, quod verum esse vel paromoeosis indicat cf. supra pag. 18; superiori adnectunt FZ, unde Ritschelius olim *deludificari volo* (omisso *laute*) effecerat. Verbi *volo* collocatio neminem offendat; exempla infra cap. VIII, 2 afferam.

His liceat adiungere versus Mil. glor. 1025 sq., quos pessime in codicibus habitos sic recte, ut videtur, constituit Gertzius, quem secutus est Ussingius:

quo pacto hoc Ilium accédi
Velis, íd refero ad te consilium.

Libri priore versu omnes exhibent: *hocciliũ*, tum *accepi*[1]) B, *apeli* CD; altero versu praebet: A: *velis* × × *a* fere certis litteris, reliqua evanuerunt; B: *velis* (ex *utais* corr.) *ut fero*; CD: *vaeli sit fero*.

Cf. Trin. 660. Pseud. 642. Mil. glor. 229. 725.

B. in senariis iambicis.

Trin. 555: cave sis dixeris
Me tíbi dixisse hoc.
778: Seque aúrum ferre virgini dotem a patre
Dicát, patremque id iussisse aurum tibi dare.
Pseud. 464: ut tu censeas
Non Pseúdolum, sed Socratem tecum loqui.
Mil. glor. 31: ne hercle operae pretium quidemst
Mihi té narrare, tuas qui virtutes sciam.
553: Et mé despexe ad te per inpluvium tuom
Fateór (cf. p. 20).

Cf. Trin. 551. 809. Pseud. 901. 1089.

II. Accusativi cum infinitivo constructio versu dissecta.

Hoc loco omnia ea exempla posui, ubi altero versu subiectum acc. c. inf., altero verbum infinitum extat.

1. Minus offendent ea exempla, ubi subiectum acc. c. inf. solum antecaptum cum verbo regenti artius coniungitur. Talia sunt:

A. in versibus longioribus.

Mil. glor. 255: intro abi ergo, et si istist mulier, eam iube
Cíto domum transire.
792: Cápite compto crinis vittasque habeat adsimuletque se
Túam esse uxorem.
885: nam ego multos saepe vidi
Regiónem fugere consili, priusquam repertam haberent.

B. in senariis iambicis.

Trin. 212: Omnís mortalis hunc aiebant Calliclem
Indígnum civitate ac sese vivere.
433: edepol ne ego istum velim
Meum fíeri servom cum suo peculio.
Pseud. 559: sed te volo
Domi úsque adesse.

---

[1]) Litterae *cce* e corr.

In talibus enim exemplis fere eandem rationem dicendi mihi videor agnoscere, qua usus Plautus e quibusdam sententiis secundariis subiectum solet antecapere verboque regenti addere. Velut Trin. 373:

Scín tu illum quo genere gnatus sit?

Conferatur Brixius ad hunc versum, qui hanc dicendi rationem bene partim usui cotidiano partim Graecorum mori loquendi tribuit.

2. Hac excusatione carent reliqua exempla, quae extant:

A. in versibus longioribus.

Trin. 382: Vérum ego quando te et amicitiam et gratiam in nostram domum
Vídeo adlicere, esti advorsatus tibi fui, istac iudico.

1145: Neú quis rem ipsam posset intellegere, thensaurum tuom
Mé esse penes.

Mil. glor. 238: Út Philocomasio huc sororem geminam germanam alteram
Dícam Athenis advenisse.

(246: vide infra cap. IX, 1.)

618: Mé tibi istuc aetatis homini facinora puerilia
Óbicere.

775: Érus meus ita magnus moechus mulierumst, ut neminem
Fúisse neque futurum credo (cf. p. 19).

1031: lamentari
Ait íllam miseram cruciari et lacrumantem se adflictare.

Cf. Trin. 666. 682. 1017. 1139. Mil. glor. 1169. 1196.

B. in senariis iambicis.

Trin. 435: Erum átque servom plurumum Philto iubet
Salvére, Lesbonicum et Stasimum.

Pseud. 430: Nam istaéc quae tibi renuntiantur, filium
Te vélle amantem argento circumducere.

438: Probrúm patrem esse oportet, qui gnatum suom
Essé probiorem quam ipsus fuerit postulet.

447: hunc ego
Cupio éxcruciari.

Cf. Trin. 455. 466. 497. 520. 736. Pseud. 104. 410. Mil. glor. 486. 1284.

Attuli igitur duodeviginti (novem e versibus longioribus totidemque e senariis repetita) exempla, ubi accusativi cum infinitivo constructio integra suo versu aut antecedit aut sequitur verbum regens. Tricies semel vero acc. c. inf. constructionem versu dissecatur.

Horum exemplorum sex (tria in vers. long. totidemque in senariis occurrentia) sunt talia, ut subiectum acc. c. inf. cum verbo regenti artius cohaerens priore versu extet, reliqua altero versu sequantur. In ceteris exemplis, quorum versus longiores duodecim, senarii tredecim offerunt, alio modo acc. c. inf. constructio inter versus distribuitur.

Quasi praeteriens moneo, cum vocibus *me, te, se* interdum versum finiri constet (cf. supra Mil. glor. 792), etiam Capt. 942 sq., quamvis locus sit duriusculus, ferri posse; extat autem:

Ét id et aliud quod me orabis impetrabis: atque te
Nólim suscensere quod ego iratus ei feci male.

Cf. etiam Asin. 487, ubi extat in sept. iamb.:

Nunc démum? tamen nunquam hinc feres argenti nummum, nisi me
Dare iússerit Demaenetus.

III. Verbum infinitum versu seiungitur.

1. Primo loco pauca ea exempla pono, ubi verbum infinitum subiectum sententiae est.

A. in versibus longioribus.

Mil. glor. 398: certa res est
Nunc nóstrum observare ostium.

B. in senariis iambicis.

Trin. 23: Amícum castigare ob meritam noxiam
Immoénest facinus.

Pseud. 449: quanto satius est
Adíre blandis verbis atque exquaerere.

Ultra exempla non inveni neque opus est pluribus; apparet enim ex exemplis minus quam ex natura rei, talia esse tolerabilia quam maxime. Quod autem exempla rarius videntur occurrere, propterea fit, quod omnino talis constructio non ita frequens est in lingua latina.

2. Graviora videbuntur ea exempla, ubi verbum infinitum e verbo pendet.

A. in versibus longioribus.

Trin. 374: eam cupio, pater,
Dúcere uxorem sine dote.

Pseud. 669: Námque ipsa Opportunitas non potuit mi opportunius
Ádvenire, quam haec adlatast mi opportune epistula.

Mil. glor. 995: quo pacto potis
Núpta et vidua esse eadem?

Cf. Mil. glor. 383. 646. 1207. 1432.

B. in senariis iambicis.

Pseud. 75: non queo
Lacrumam éxorare ut expuant unam modo.
88: restim volo
Mihi émere.
Mil. glor. 1095: nam nullo. pacto potest
Prius haéc in aedis recipi quam illam amiserim.

Cf. Pseud. 424. 504. 808. 870.

Haec exempla quattuordecim (septem e vers. long. atque totidem e senariis collecta) offerunt fabulae, ubi verbum infinitum a verbo regenti avellitur. Quod autem horum exemplorum dimidia pars est talis, ut verbum auxiliare *possum* vel (semel) *queo* semper negatum aut negativo sensu positum extet (itemque alibi saepius ut: Most. 459. 573. 837), partim declaratur verbi vi, quae talis est, ut facile negationem desideret, partim casui tribuendum est; nam alibi, ut Capt. 88. 100. 176 etiam a verbo *possum (queo)* affirmative posito verbum infinitum seiungitur.

IV. Vocabula, quibus locus, tempus, modus, causa, instrumenta quaeque sunt talia significantur nec non ablativi absoluti constructio a reliqua sententia separantur.

A. in versibus longioribus.

Trin. 604: Quoí homini despondit? # Lysiteli Philtonis filio,
Síne dote. # Sine dote ille illam in tantas divitias dabit?
609: tanton in re perdita
Quam ín re salva Lesbonicus factus est frugalior.
623: celeri gradu
Eúnt uterque.
832: nam apsqué foret te, sat scío in alto
Distráxissent disqué tulissent satellítes tui me miserúm foede.

Cf. vv. 303. 346. 628. 645. 713. 872. 942. 1013. 1017. 1018. 1089.

Haec exempla in uno Trinummo in versibus longioribus occurrunt. Sequuntur e Pseudolo et Mil. glor. et si quid novi ceterae fabulae afferunt selecta haec:

Pseud. 1173: quotumo die
Éx Sicyone huc pervenisti?
Mil. glor. 173: de tegulis
Módo nescio quis inspectavit vostrum familiarium.
Mil. glor. 240: apud te eos hic devortier
Dícam hospitio.

Mil. glor. 1200: Quód volui, ut volui, impetravi per amicitiam et gratiam
Á Philocomasio. # Quid....

Mire Bothius *gratiam a* || *Philocomasio*, quod quamvis numeris commendetur, a Plauto abhorrere vix opus est dicere.

Mil. glor. 1420: salvis testibus
Út ted hodie hinc amittamus.

B. in senariis iambicis.

Trin. 442: inter te atque nos
Adfínitatem ut conciliarem et gratiam.

586: nullo modo
Aequóm videtur, quin, quod peccarim...

1002: Nam epístula illa mihi concenturiat metum
In córde, et illud mille nummum quam remagat.

Cf. vv. 179. 402. 509. 729. 732. 795. Liceat e Mil. glor. addere:

33. Ventér creat omnis hasce aerumnas: auribus
Peraúrienda [1]) sunt, ne dentes dentiant.

Post *auribus* Reinh. Klotzius distinxit parum feliciter; apparet enim paromoeosin duplicem (aur-: aur- = dent-: dent-) retinendam esse. Subiectum haud scio an possit omitti: nam Most. 49 legitur:

Tu fórtunatu's, ego miser, patiunda sunt.

cf. etiam Ussingium ad Amph. 279; quamquam aliquantulum dubito.

Ex exemplis, quorum unus Trinummus offert viginti quattuor (sc. quindecim e versibus longioribus et novem e senariis collecta) videtur apparere huiusmodi vocabula ad locum, tempus, modum, causam, instrumenta pertinentia facillime a reliqua sententia avelli. Hoc bene intellegetur, cum reputabimus, talia etiam ad sensum quod attinet non ita arte cum cetera constructione verborum cohaerere. Ac plerumque quidem in fine prioris versus talia vocabula videmus extare. Persaepe autem praepositio est addita.

V. Adverbium versus fine seiungitur.

1. Adverbium ad verbum pertinet.

a. Adverbium in prioris versus fine extat.

A. in versibus longioribus.

Pseud. 266: interea loci
Sí lucri quid detur, potius rem divinam deseram.

620: nam equidem Athenas antidhac
Núnquam adveni neque te vidi ante hunc diem umquam oculis meis.

---

[1]) *peraurienda* C, *peraudienda* cet. cum A.

Pseud. 729: Pósse opinor me 'dare hominem tibi malum et doctum, modo
Qui á patre advenit Carysto.

Mil. glor. 463: sed quomodo
Díssimulabat.

768: nam ego inveni lepidam sycophantiam
Qui ádmutiletur miles usque caesariatus atque uti
Huíc amanti ac Philocomasio hanc ecficiamus copiam.

1153: nunc quom maxume
Ópust dolis.

1171: et simul
Fórmam amoenitatem illius, faciem pulchritudinem
Cónclaudato.

1176: ibi tu ilico
Fácito, uti vęnias.

1331: quia abs te abit, animo male [1])
Fáctumst huic repente miserae.

Sequuntur e reliquis fabulis exempla selecta.

Men. 1052: quin modo
Éripui, homines quom ferebant te sublimen quattuor.

1112: postea
Ínter homines me deerrare a patre atque inde avehi.

1155: ergo nunciam
Vís conclamari auctionem fore.

Most. 276: Úbi sudor cum unguentis sese consociavit, ilico
Ítidem olent, quasi quom una multa iura confudit coquos.

1108: Dedisti verba. # Qui tandem? # Probe
Méd emunxti.

Merc. 200: Quid respondit? # Ilico
Óccucurri atque interpello.

220 [2]): Póste aspiciet te timidum esse atque exanimatum, ilico
Rétinebit, rogitabit unde illam emeris, quanti emeris.

659: patrem atque matrem ut meos salutem: postea
Clám patrem patria hac effugiam.

---

1) *Male* | *Factumst* non debet videri iusto molestius. Tenendum enim est *male* etiam artius cum *animo* coniungendum esse quam cum *factumst*. Cf. etiam Brixium ad h. l.

2) Sic locus in codd. corruptus videtur restituendus cum hiatu in caesura legitimo; *aspicio* cum acc. c. inf. coniunctum non adeo offendit; quodammodo conferendus est Mil. glor. v. 174, ubi *inspecto* acc. c. part. sibi adsciscit, et Bacch. 279, ubi *conspicor* cum acc. c. inf. coniungitur.

Epid. 552: (quia) Tuaé memoriae interpretari me aequom censes.
Commode
Fábulatast.

Poen. 875: Quasi vero tacere quicquam potis sis.
Rectius
Tácitas tibi res sistam, quam quod dictumst mutae mulieri.

Sic recte, ut videtur, scribitur; codd. offerunt: A. *quasi tu tacere vero quiquam* Pal. *quesi tu tacere quicquam*; praeterea omnes codd. habent: *tacitus tibi resistam.* Ceterum adverbium *rectius* apparet ad *tacitas sistam* (i. e. tacebo) pertinere.

Aulul. 805: Nisi étiam hic opperiar tamen paulisper: postea intro
Hunc súbsequar.

Asin. 674: et si hoc meum esset, hodie
Nunquám me orares quin darem.

B. in senariis iambicis.

Trin. 98: primumdum omnium
Male díctitatur tibi volgo in sermonibus.

160: verbis paucis quam cito
Aliúm fecisti me.

400: commodum
Ipse éxit Lesbonicus cum servo foras.

757: Dum occásio ei rei reperiatur, interim
Ab amíco alicunde mutuom argentum rogem.

810: denique
Diéi tempus non vides?

1102: strenue
Curre ín Piraeum atque unum curriculum face.

Pseud. 16: nam tu me antidhac
Suprémum habuisti comitem consiliis tuis.

524: ego etiam prius
Dabo áliam pugnam claram et commemorabilem.

533: numquid causaest, ilico
Quin te ín pistrinum condam.

1044: quamdiu
Mihi cór retunsumst oppugnando pectore.

Mil. glor.[2]) 1130: Numquíd videtur demutare atque ut quidem[1])
Dixi ésse vobis dudum hunc moechum militem.

Sequuntur e reliquis fabulis exempla selecta.

---

[1]) *Aut utique* libri Pal.

[2]) Adde 522: *heus, Philocomasium, cito* || *Transcúrre curriculo ad nos.* Cf. 524.

Most. 419: Sed quíd tu egredere sic per ianuam? Optume
Praecéptis paruisti.

Priorem versum posui, qualem restituit Ussingius; nam quamvis de ceteris vocibus possit dubitari, tamen illi *iamiam* codicum subesse *ianuam* mihi fere persuasum est. Quod si statuimus, ab *optume* novum sententiam esse ordiendam facile intellegitur.

Cist.[1]) 135: Ubi míhi potestas primum evenit, ilico
Feci éius ei, quod me oravit, copiam.
137: Postquám puellam eam a me accepit, ilico
Eandém puellam peperit, quam a me acceperat.
394: Ego té reduco et revoco ad divitias, ubi
Tu cónlocere in luculentam familiam.
415: sicine
Agis núgas?
Poen. 468: Sed quaéso ubi nam illic restitit miles, modo
Quei hanc míhi donavit, quem ego vocavi ad prandium.
Pers. 108: sed ecquid meministi, here
Qua dé re ego tecum mentionem feceram?

ubi ante *here* hiatur, cui rei fortasse recte Muellerus succurrit *id* post *ecquid* inserens.

Adicio e lyricis versibus unum locum, qui extat Pseud. 215:

Íbi tibi adeo léctus dabitur, úbi tu hau somnum cápias, sed ubi
Úsque ad languorém — tenes,
Quó se haec tendant quaé loquor.

ubi versuum discriptionem esse verissimam non solum codicum A et B consensus, sed etiam ipsi boni versus in eadem scaena saepius occurrentes comprobant. Etiam exitus hoc modo fictus ibi saepius invenitur cf. 209 et 221.

Haec exempla XLI (XXI e versibus longioribus, XX e senariis repetita) mihi visa sunt memorabilia, ubi adverbium ad verbum pertinens suo versu antecedit, ita ut reliqua sententia in altero versu sequatur. Ac primum quidem quattuor illa exempla separo, ubi adverbium paulo maiorem spatium obtinet; intellego ea, ubi est: *interea loci, nunc quom maxume, primumdum omnium, etiam prius;* quae omnino nihil habent miri.

Reliquorum usus qualis sit ut melius perspiciatur, subicio hanc tabellam:

[1]) Sec. Ussingium.

in vers. long.	in senar. iamb.

1. voces creticae.

ilico 4 [1])	ilico 3
postea 2	—
(postea intro)	
antidhac	antidhac
commode	—
rectius	—
nunciam	—
—	interim
—	denique
—	commodum
—	strenue
—	optume
quomodo	—
—	sicine.

1a. vox anapaestica.

hodie (in sept. iamb.)	—

2. duae voces (monosyll. et iamb.) arte cohaerentes, quibus pes creticus efficitur.

in vers. long.	in senar. iamb.
et simul	—
ut quidem [2])	—
—	quam cito
—	quam diu
atque uti	—

3. vox iambica [3]).

modo 2	modo
male	—
probe	—
—	ubi [4])
—	here

Memorabile illud mihi videtur, quod plerumque et in versibus longioribus et in senariis iambicis ante adverbium distinguitur: igitur respiratio vocis in his exemplis ante finem versus statuenda est, quod

[1]) Numerus additus significat, quotiens illa vox in exemplis, quae posui, extet; si numerus deest, scito semel extare.

[2]) E coniectura.

[3]) Adde *cito*, quod. Mil. glor. 522 et 524 in senar. iamb. sic extat.

[4]) Praeterea in cantico semel *séd ubi* in fine versus.

saepius secus fieri et supra (ubi de Graecis verba feci: p. 3 sqq.) monui et infra exponam (cf. p. 54).

Ceterum statui possit, ubi imperativus extat et celeriter aliquid agi iubetur, adverbium solutius esse positum et tanquam exclamationem efferri. Hinc illud *strenue!* | *curre in Piraeum* (Trin. 1121).

b. adverbium in alterius versus initio extat.

A. in versibus longioribus.

Pseud. 707: confer gradum
Cóntra pariter. porge audacter ad salutem bracchium.

Apparet tamen solute quam maxime positum esse *contra pariter.*

Pseud. 730: necdum exit ex aedibus
Quóquam, neque Athenas advenit umquam ante hesternum diem.

Mil. glor. 1044 huc non pertinet; nam ibi meo iudicio falso distinguitur in editionibus; locus cum ceteris huius modi tractatur in appendice I.

Mil. glor. 1220: cum ipso pol sum locuta
Placide, ípsae dum lubitumst mihi, otiose, meo arbitratu.

In altero versu constituendo Ussingium secutus sum, ubi libri exhibent: *placide ipse dum libitum est mihi otiose meo arbitratu ut volui.* Quod cum iusto longius sit, viri docti alius aliud omiserunt; nam Brixius ex malorum codicum (F Z) fide malum versum constituens [1]) frustra est. Veri simillimum est, id quod Fleckeiseno (ep. crit. p. XXVII) visum est, voces *ut volui* interpreti deberi. Quod autem *ipsae* (possis etiam *ipsi*, dummodo sit dativus) scripsi atque in initio versus post *placide* distinxi, contra Niemoellerum [2]) (de Ipse et Idem usu p. 14) ausim defendere. Nam primum hoc modo huius loci sententia bene stat, quia primario enuntiato suum *ipso* sat est, duplex autem pronomen „ipse" in una sententia minime placet. Tum concinnitate verborum commendatur haec ratio distinguendi. Σχῆμα enim est tale:

I. placide (a), ipsae dum lubitumst (b) mihi,
II. otiose (a), meo arbitratu (b).

ubi prima versus pars certa caesura ab altera parte dirimitur. Praeterea, ut et vidimus et videbimus, accepta est distinctio post primam versus vocem.

1) Edidit enim:
Placide ípsa, ut lubitumst, mi, ótiose meo árbitratu, ut vólui.
quod cum reliqui versus huius scaenae fere omnes incisione post quartum pedem utantur, vel hanc ob causam vix aptum est.

2) Qui *ipsa* scribi vult.

Liceat adiungere:

Mil. glor. 1356: Ét si ita sententia esset, tibi servire malui
Múlto quam alii libertus esse.

Aliunde huc pertinet modo:

Capt. 604: Námque edepol si adbites propius, os denasabit tibi
Mórdicus. # Neque pol....

B. in senariis iambicis.

Pseud. 881: Nam ego íta convivis cenam conditam dabo
Hodie, átque ita suavi suavitate condiam.

Videtur tamen *hodie* διὰ μέσου stare, item ut infra (Most. 616) illud *sic*.

Mil. glor. 535: abi intro ad vos domum
Contínuo: vide sitne istaec vostra[1]) intus.

E fabulis ceteris modo huc pertinet:

Bacch. 211: immo hercle abiero
Potiús. # Num invitus rem bene gestam audis eri?

803: Eho tu loquitatusne es gnato meo
Male pér sermonem, quia mi id aurum reddidit.

Hoc modo et verba et discriptionem exhibent libri. Discriptionem autem veram esse inde apparet, quod non solum alter versus bene stat, sed etiam si altero versu *male* posset desiderari, ne tum quidem prior versus vocabulo *male* inserto sanaretur. Itaque cum recentioribus editoribus in priore versu aliquid excidisse statuendum est; Ritschelius inseruit *scelus* ante *loquitatusne*, quod placet. Ceterum hoc quoque loco, ut supra (Mil. glor. 1331) *animo male* arte cohaerere vidimus, *male per sermonem* artius coniungendum esse patet.

Most. 616: Quid Phílolachetem gnatum compellat meum[2])
Sic ét praesenti tibi facit convitium?

Videtur tamen *sic* διὰ μέσου positum esse, ut et ad *compellat* et ad *facit convitium* pertineat; cf. Pseud. v. 881 sq., ubi simile aliquid vidimus accidere.

Possumus igitur constituere perraro adverbium ad verbum pertinens alterius versus initio solum inseri, quod qui solitam collocationem verborum observarit, non contra expectationem esse concedet.

[1]) Codd. *domum* inserunt ante *vostra.*

[2]) Codd. *meum* om.

2. Adverbium spectat ad adiectivum aliquod vel ad substantivum cum praepositione coniunctum.

Adverbium semper antecedit in priore versu.

A. in versibus longioribus.

Extat unum modo, quod sciam, exemplum:

Pseud. 1219: Mágno capite, acutis oculis, ore rubicondo, admodum
Mágnis pedibus. # Perdidisti, postquam dixisti pedes.

ore rubicondo admodum, Magnis distinxit olim Bothius idque „male“ Ritschelii iudicio. Et sane recte iudicavit Ritschelius; nam omnem iocum huius lepidae descriptionis hominis in illis *admodum magnis pedibus* situm esse optime e responso Ballionis apparet. — Ceterum animadvertas velim hoc loco verba collocandi rationem, quippe quae sit propter duas res laudanda. Primum enim, cum id, quod summi momenti est, non modo postremo loco ponitur, sed etiam versus prior vocabulo *admodum*, quod ad rem augendam valet, concluditur, res autem ipsa in insequenti demum versu apparet, vehementissime Ballionis simulque spectatorum exspectatio excitatur. Tum allitteratio verborum priscis, ut dixi, valde accepta efficitur.

B. in senariis iambicis.

Trin. 593: etsi admodum[1])
In ámbiguost etiamnunc, quid ea re fuat.

Pseud. 410: Erum éccum video huc senem Simonem una simul
Cum suó vicino Calliphone incedere.

462: Sunt quaé te volumus percontari, quae quasi[2])
Per nébulam nosmet scimus atque audivimus.

472: tam[3]) tibi
Mirum íd videtur?

Mil. glor. huiusmodi exemplis caret.

Curc. 427: Concéde: inspiciam quid sit scriptum. # Maxume
Tuo árbitratu, dum aufero abs te id quod peto.

Haec exempla mihi digna visa sunt, quae commemorarentur. Ex his talia, qualia sunt: *admodum* | *In ambiguost, simul* | *Cum suo vicino, quasi* | *Per nebulam, maxume* | *Tuo arbitratu* non ita rara sunt nec quisquam in his offendet. A suo vero adiectivo adverbium versus fine dirimi alibi non repperi; quamvis de duobus illis, quae attuli, exemplis *(admodum* | *Magnis . . ., tam tibi* | *Mirum . . .)* non dubitem.

---

1) *Admodum* particulae affirmantis exemplum, quod extat Epid. 104, infra cap. XV. (p. 69) attuli.

2) Cf. Epid. 420, qui tamen locus vix sanus est.

3) *tam* A, *iam* Pal.

Iam sequuntur tribus proximis locis ea exempla, ubi aut subiectum aut obiectum aut praedicatum a sua sententia per versus exitum separatum vel antecedit vel sequitur. Quae exempla cum interdum difficilius videretur ordinare, has rationes me secutum esse confiteor. Imprimis igitur id egi, ut ex exemplis collatis appareret, ubi quid solum atque a reliqua sententia separatum extaret. Itaque eos locos, ubi subiectum versus fine avellitur, praedicatum autem una cum obiecto, si adest, aut cum aliis vocibus eodem versu comprehenditur, fere primo loco posui; eos autem locos, ubi obiectum seiungitur, subiectum autem cum praedicato coniunctum est, altero loco attuli; ubi vero praedicatum aut solum antecedit aut in initio insequentis versus sequitur, haec omnia exempla in tertium locum coegi.

VI. Subiectum versu dirimitur.

Antequam huius modi exempla ponam, mirum quendam usum sermonis comici paucis commemorari volo. Nam cum in posterioris aetatis bene exculta oratione pronomen personale non nisi aut cum emphasi aut in sententiis, quae sunt contrariae, adhiberi videamus, apud comicos — ni fallor, ad similitudinem sermonis cotidiani — pronomen personale, imprimis *ego*, ceteras formas paulo rarius, verbo persaepe additum invenimus. Extat verbi gratia:

Trin. 301: Sémper ego usque ad hanc aetatem ab ineunte adulescentia
Tuís servivi servitutem inperiis, praeceptis, pater.
342: Séd ego hoc verbum quom illi quoidam dico, praemostro tibi...
843: nam ego operam meam
Tríbus nummis hodie locavi ad artis naugatorias.
Pseud. 1197: proin tu Pseudolo
Núnties abduxisse alium praedam.
Itemque in senariis ubique, velut:
Trin. 25: nam ego amicum hodie meum
Concástigabo pro conmerita noxia.
67: Nam ego dédita opera huc ad te venio.
Mil. glor. 857: vos in cella vinaria
Bacchánal facitis.
Addo Asin. 429: Dum réperiam qui quaeritet argentum in fenus, hic vos
Dormítis interea domi atque erus in hara, haud aedibus habitat.
Rud. 1305: Immo édepol una littera plus sum quam medicus. # Tum tu || Mendícus es?

His locis itemque tot aliis cum pronomen personale in initio fere sententiae extet verbumque non semel post complures voces interpositas vel etiam in insequenti demum versu sequatur, pronomen idcirco esse additum putaverim, ut statim qui esset, de quo ageretur, audientes scirent. Alibi tamen ne haec quidem vis pronominis personalis agnoscenda est, ita ut pronomen, sive ante verbum positum sive post, prorsus abundet. Exemplis, cum unaquaeque fere pagina offerat, non opus est positis. Graviora tamen fortasse haec videbuntur:

Trin. 324: Ób eam rem haec, pater, autumavi, quia res quaedamst, quam volo
Ego me aps te exorare.

Most. 86: Argúmentaque ín pectus múlta instituí
Ego átque in meó corde, síst quod mihí cor,
Eám rem volútavi.

Bacch. 615: Málevolente ingenio natus: postremo id mist quod volo
Ego esse aliis.

Hi loci meo iudicio alius alio nituntur. Ac primo quidem in loco, cum numeri sint certi, nemo offendit; praeterea pronomina personalia apparet quodammodo cumulari (ego me te), quod veteres scimus adamare. Altero autem, ubi catalexis versus simul cum duplici thesi in baccheis non ferenda videbatur, Ritschelius non solum miram quandam formam a Reizio prolatam *institivi* recepit, sed etiam duos insequentes versus damnavit. Utrumque sane iniuria fecit. Primum enim illud *institivi* omnino non ferendum est[1]). Forma audit aut *institŭi* aut *instititi*[2]). Alterius formae unum modo, at hoc gravissimum atque certissimum testimonium scio. Extat enim Stich 430:

Ubi cénas hodie? # Sic hanc rationem instititi.

ubi A *instite*, quod fortasse fuit *institei*,, BCD *instititi* exhibent, Ritschelius autem ipse iam recte scripsit *instititi*. Itaque hoc, de quo agimus, loco non est dubium quin hac forma restituta scribendum sit:

Argúmentaque ín pectus múlta instití.

Versus autem catalecticus immixtus neminem offendat: cf. Klotzium, Grundzüge altröm. Metrik p. 418. — Quod autem Ritschelius vv. 87 et 88 damnat, mihi non facile persuadebit; an verisimile est interpolatorem, cuius operam in hac scaena versatam esse non nego,

---

1) Hoc iam intellexit Fleckeisenus in Mus. Rhen. 14, 631, cuius tamen coniectura vix opus est recepta.

2) Hic inseram, ut Amph. 926 ex *abstines* codicum restitutum est *abstinei*, quod sensus flagitat, ita Asin. 582, ubi codices exhibent:

Nimis aégre risum continui, ubi hospitem inclamavit.

Bothii coniecturam *contini* a viris doctis spretam suadente versu recipiendam esse.

suam sententiam ab *ego atque*... orsum esse? praeterea versuum nec sensus nec numeri sunt vitiosi.

Iam Bacchidum illo loco (vv. 615 et 616) verba posui, ut leguntur in codicibus, nisi quod B *volo* ex *nolo* correctum praebet, itemque versuum distinctionem servavi, qualem exhibet B. Sententia autem sane integra est. Quamobrem omnino non addecet codicum fidem nihili habere et non solum distinctionem versuum, verum etiam, quod gravius est, scripturam licenter mutare atque pessum dare. Servemus potius quae tradita sunt, dum quis certis argumentis ea refellat ac meliora expromat. Primus igitur versus septenarius trochaicus est, qui post complures octonarios non modo non offendit, sed etiam aptissimus est, quo trochaici numeri finiantur. Exempla satis multa extant, verbi gratia Pers. 267, ubi septenario trochaico finis fit trochaeorum et in iambicum metrum transitur.

Alterum versum anapaesticum esse apparet. Atque ut exhibetur in codicibus, trimeter anapaesticus catalecticus est, qui versus apud Plautum non iam inauditus est. Manifesto enim hunc deprehendit Christius (Metr. Bemerkungen zu d. Cant. d. Plautus p. 44, quae dissertatio extat in Sitzungsberichte der Münchener Akad. 1871, cf. etiam Christii Metrik [2] p. 273), qui Truc. 95 sqq. et Curc. 155—157 affert. His ego addiderim Curc. vv. 96 et 97, ubi B (cf. Ussingii editionem, qui cod. B discriptionem servat versusque pro creticis tetrametris venditat, et Goetzii-Ritschelii ed. p. XVIII) hos habet versus:

Flos véteris vini meís naribus obiéctust:
Eiús amor cupidam me húc prolicit per ténebras.

sequitur octonarius anapaesticus. Fabulas in hanc rem diligenter perlustranti fortasse talis versus etiam alibi occurret. Utut est, hoc de quo agimus loco scribendum videtur:

Málevolente ingenio natus: postremo id mist, quod volo
Ego esse áliis. Credibile hóc est? nequior némost.

Sequitur hoc quoque loco octonarius anapaesticus. Ceterum liceat monere versum haud malum in Germanica lingua adhibitum esse ab Uhlando in carmine, quod inscribitur *die Mähderin* (II, 55).

Sed iam redeamus ad rem propositam.

1. Subiectum antecedit.

A. in versibus longioribus.

Trin. 692: haec famigeratio
Té honestet, me conlutulentet, si sine dote duxeris.

Pseud. 699: sed istic Pseudolus
Nóvos mihist

Mil. glor. 902: sed dic mihi, ecquid hic te
Onerávit praeceptis?
988: édepol haec quidem
Béllulast.
Cf. Trin. 926. Mil. glor. 889. 1315.

B. in senariis iambicis.

Trin. 545: sed Campans genus
Multó Surorum antidit patientia.
Pseud. 7: Nunc quóniam id fieri non potest, necessitas
Me súbigit ut te rogitem.
Mil. glor. 592: nam Palaestrio
Domi núnc apud mest.
865: tu meam partem, infortunium
Si dívidetur, me absente accipito tamen.
Cf. Trin. 509. 738. Pseud. 434. 1081. Mil. glor. 579.

Sedecim igitur exempla potui afferre ex his fabulis, ubi subiectum priore versu extat, reliqua autem sententia altero versu sequitur. Ac septem quidem versus longiores, novem senarii offerunt. Observatur subiectum, si in fine versus in iambum exeuntis solum extat, ita ut ante distinguatur, semper polysyllabon esse, ut Pseud. 7 *(necessitas)* et Mil. glor. 865 *(infortunium)*; neque reliquae fabulae, quantum video, huic consuetudini repugnant. Mil. glor. v. 902 contra, ut septenarius iambicus, nihil habet miri. Immo vide Asin. 609:

Egon té? quam si ego intellegam deficere vita, iam ipse
Vitám meam tibi largiar et de mea ad tuam addam.

Idem in sept. troch. non item ferendum esse censeo et aliquam movet dubitationem Epid. 206, ubi ex coniectura Camerarii codici B illata solet scribi:

Á legione omnes remissi sunt domum Thebis. # Quis hoc
Dícit factum? # Ego ita factum esse dico.

ubi in priore versu *Quis hoc* deest in reliquis codd., in altero autem B *scit factum* IZ *sic factum* F *sic factum est* exhibent. Ego a *scit* codicis B profectus malim versus tales restituere:

Á legione omnes remissi sunt domum Thebis. # Quid est?
Scín tu factum? # Ego ita factum esse dico.

2. Subiectum reliquam sententiam sequitur.

A. in versibus longioribus.

Pseud. 688: Di ímmortales, aurichalco contra non carum fuit
Meúm mendacium, hic modo quod subito commentus fui.

Mil. glor. 182: Í seis, iube transire huc quantum possit, se ut videant domi
Fámiliares: nisi quidem illa . . .
1152: si praesenserit
Míles, nihil ecferri poterit huius.
1211: Sáltem id volup est, quom ex virtute formaque evenit tibi
Méa opera super hac vicina.

B. in senariis iambicis.

Trin. 169: Adésurivit et inhiavit acrius
Lupus: óbservavit, dum dormitaret canes.

Sic distinguendum est cum Ussingio; plura vide infra, ubi exempla comprehendi.

Trin. 745: huic ducendi interea apscesserit
Lubído: atqui ea condicio vel primariast.
Mil. glor. 1391: Qui omnís se amare credit, quaeque aspexerit
Muliér, quem oderunt qua viri qua mulieres.
(cf. Merc. 623 sq.)

Posui igitur septem exempla (quattuor e versibus longioribus, tria e senariis repetita), ubi subiectum reliquam sententiam sequitur. Neque opus est pluribus aut exemplis aut verbis. Videmus enim quinquies subiectum uno vocabulo expressum in altero versu solum extare, ita ut post distinguatur. Ex his ille Trinummi locus (v. 169 sq.) ne gravissimus quidem est: nam hic idem subiectum retinetur, quod ceteris locis non aeque fieri patet. Quamobrem reiciendi sunt Brixius, qui versus transposuit, et Ritschelius, qui post *acrius* distinguens mirum, ne dicam ridiculum sensum intulit.

VII. Obiectum sive accusativi sive dativi casus versu seiungitur.

1. Obiectum antecedit.

A. in versibus longioribus.

Trin. 618: ut inimicos tuos
Úlciscare et mihi, ut erga te fui et sum, referas gratiam.
653: ne omnino inopiam
Cíves obiectare possint tibi, quos tu inimicos habes.
1091: visne aquam
Tíbi petam?
1170: si tibi
Dénegem quod me oras.

Pseud. 1197: proin tu Pseudolo
Núnties abduxisse alium praedam.
Mil. glor. 926: potine ut hominem
Mihi dés, quiescas cetera?
930: ego ad forum illum
Convéniam atque illi hunc anulum dabo.
951: quae tibi
Cóndicio nova et luculenta fertur per me interpretem.
1173: satinest, si tibi
Méum opus ita dabo expolitum, ut improbare non queas?

Cf. Trin. 843. 848. 905. 946. 1055. 1066. 1142. 1151. Pseud. 989. Mil. glor. 276. 291. 451. 875. 902. 971. 1006. 1261. 1427.

B. in senariis iambicis.

Trin. 444: Tuam vólt sororem ducere uxorem: et mihi
Senténtia eademst et volo.
Pseud. 484: ecquas viginti minas
Paritás ut a med auferas? # Abs[1]) te ego auferam?
1099: quid ego cesso Pseudolum
Facere út det nomen ad Molas coloniam?
Mil. glor. 1107: omnia
Vis óptinere.
1296: sed foris
Pultábo.

Cf. Trin. 577. 776. Pseud. 16. 69. 395. 426. 472. 878. Mil. glor. 25. 481. 539. 868.

Inveniuntur igitur exempla quadraginta quattuor, quorum viginti septem e versibus longioribus, septendecim e senariis repetita sunt. Cognoscitur autem obiectum perfacile a reliqua sententia versu seiungi. Qua in re hanc legem constituere licet: obiectum in fine antecedentis versus solum extans certe cretici pedis spatium obtinet. Iambicis vocibus, e quibus formae *mihi tibi sibi* saepissime occurrunt, semper vocula addita est atque saepissime monosyllabon. Itaque frustra est Muellerus (Plaut. Prosod. p. 603), qui Mil. glor. 1156 sqq. sic constitui voluit:

Quód apud nos fallaciarum sex situmst, certo scio,
Óppidum quodvis videtur posse expugnari. # Dolis
Dáte modo operam.

---

1) Sic cum codd. (nisi quod *me*) scripserim, ita ut *abs* corripiatur.

Talia utique non ferenda sunt. Contra in versu in trochaeum exeunte paulo licentior est usus poetae, ut Bacch. 982:

quid ait? # Verbum
Núllum fecit.

Observandum tamen est hoc loco sensui quoque hanc discriptionem bene respondere.

In transitu moneo, cum talis usus sit magis Latinus quam Plautinus, hac in re etiam pronomina varia, ubi occasio offertur, arte collocata hic atque illic inveniri, velut Capt. 1012. Most. 1079. Men. 369. 607. Causam vocum *mihi tibi sibi* tam saepe in fine versuum positarum e re metrica petendam esse iam supra (p. 13) dixi. — Pronomina ut absolvamus, addo e sept. iamb. hos duos locos:

Most. 188: Tu ecástor erras, quae quidem illum expectes unum atque illi[1])
Morém praecipue sic geras atque alios asperneris.

Asin. 493: sed tamen me
Nunquam hódie induces ut tibi credam hoc argentum ignoto.

Iusto molestior mihi videtur Epid. 533, ubi Goetzius contra codicis A fidem vix recte edidit:

Quis illaéc est timido péctore quae péregre adveniens ípsa se
Miserátur? # In his . . .

nec minus Amph. 644, ubi ex Hermanni discriptione contra codicum scripturam et discriptionem editur:

Absít, dummodó laude párta domúm se
Recípiat: feram ét perferam úsque abitum eius ánimo.

Ceterum haec idcirco magis moneo, ut comprobem horum similia in senariis septenariisque non occurrere, quam ut canticis discribendis certas leges inveniam; nam illorum leges num integras in cantica liceat transferre, minime constat.

Restat ut eos locos paucis attingam, ubi quis obiectum artius cum verbo cohaerere putaverit. Huc v. gr. pertinent:

Capt. 868: te hercle — mi aequomst gratias
Ágere ab nuntium.

Most. 470: quom in hasce aedis pedem
Nemo íntro tetulit.

Contra minime placet Pers. 494, ubi contra codicum fidem editur:

faciam út mei memineris, dúm vitam
Vivás. # Bene dictis . . .

nam verba *vitam vivas* artissime cohaerere nemo non videt (non item Asin. 397).

---

[1]) Attendas, quam bene duplex „ille" in eodem versu ponatur.

2. Obiectum proximo versu sequitur.

A. in versibus longioribus.

Pseud. 294: nullus est tibi, quem roges
Mútuom argentum?

952: credo animo malest
Aédibus.

Mil. glor. 701 [1]): nam hercle si istam semel amiseris
Líbertatem, haud facile in eundem rusum restitues locum.

1344: obsecro, quem amplexa sum
Hóminem?

Cf. Pseud. 683. Mil. glor. 295.

B. in senariis iambicis.

Trin. 436: di duint
Tibi, Phílto, quaequomque optes.

1101: sed intus narrabo tibi
Et hóc et alia.

Mil. glor. 73: Ut ín tabellas quos designavi hic heri
Latrónes, ibus dinumerem stipendium.

Cf. Pseud. 419.

Haec exempla decem offerunt fabulae, quorum sex praebent versus longiores, quattuor senarii. Apparet, ut ex usu sermonis exspectes — nam non ita saepe obiectum in fine sententiae alicuius collocari solet — non facile obiectum in initio novi versus poni. Praeterea huiusmodi exempla, ubi substantivum cum pronomine demonstr., determ., relat., interog., indefin. coniunctum est (cf. Mil. glor. 1344), infra tractabuntur (cap. XIV, 1). Rud. 657 et Men. 156, quae exempla supra (p. 18) tractabantur, etiam ex allitterationis studio excusationem habent. Trin. autem v. 436 sq. observandum est verba *Tibi Philto* quam artissime cohaerere. Talibus igitur omissis pro lege habeatur: obiectum in insequentem versum translatum voce aut trisyllaba[2]) aut polysyllaba solere effici.

---

[1]) Cf. supra p. 21.

[2]) Cf. Amph. 764: equidem ego ex te audivi et ex tua accepi manu
Páteram # Mane, mane obsecro te.

VIII. Praedicatum (sc. verbum excepto verbo substantivo) versu seiungitur.

1. Praedicatum antecedit.

Ut ex verbo aliquo in fine versus collocato nova sententia incipiat, fere tum modo solet fieri, si in altero versu sequitur accusativus cum infinitivo ex illo verbo pendens, velut Pseud. 1157. Mil. glor. 177. 337, quos locos in capite I (p. 27) laudavi. Satishabeo unum locum addere:

Stich. 608: Nón it, non it: quia tanto opere suades ne bitat. # Iube
Dómi mihi tibi tuaeque uxori celeriter cenam coqui.

Etiam memorabilius videtur, quod Stich. 68 inverso ordine sic scriptum videmus:

Quíd agimus, soror, si offirmabit pater advorsum nos? # Pati
Nós oportet, quod ille faciat, quoius potestas plus potest.

ubi *Pati* non sine emphasi positum esse apparet; accedit adnominatio verborum *pater* et *pati*.

Similis nimirum res est, si infinitivus sequitur, ut Pseud. 75, quem locum in capite III, 2 attuli (extat p. 31). Adde:

Most. 459: Quid est negoti? # Non potest
Dicí, quam indignum facinus fecisti et malum.

His igitur exemplis demptis molestiora vix occurrunt. Nam neminem offendent talia:

A. in versibus longioribus.

Pseud. 294 [1]: nullus est tibi, quem roges
Mútuom argentum.

Mil. glor. 233: Dum ín regionem astutiarum mearum te induco: ut scias
Iúxta mecum mea consilia.

295: Nám tibi iam, ut pereas, paratumst dupliciter, nisi supprimis
Tuóm stultiloquium.

355: cedo vel decem, edocebo
Minumé malas ut sint malae.

Scite hoc loco poeta verba inter versus dispertivit; nam obiectum verbi *edocebo* magis est *omnes decem* quam *minume malas*; hoc contra artissime cum sequentibus verbis *ut sint malae* cohaeret ac stat quasi pro subiecto, ut infra (v. 1218) dicitur: *tempus est malas peiores fieri.*

---

[1]) Cf. cap. VII, 2 (p. 47).

B. in senariis iambicis.

Trin. Pseud. Mil. glor. apta exempla non praebent.

Videmus igitur praedicatum e sua sententia versuque antecapere poetae prorsus non libuisse. Eo plura eaque magis memorabilia exempla extant, ubi praedicatum in initio alterius versus sequitur.

2. Praedicatum sequitur.

A. in versibus longioribus.

Trin. 727: nudius sextus quoi talentum mutuom
Dédi, reposcam, ut habeam mecum quod feram viaticum.

919: nisi nomen patris
Díces, non mostrare pote istos homines, quos tu quaeritas.

1122: ut, quae cum eius filio
Égi, ei rei fundus pater sit potior.

Pseud. 1205: ut docte dolum
Cómmentust.

Mil. glor. 231: at te Juppiter
Béne amet.

253: dummodo hunc prima via
Índucamus, vera ut esse credat quae mentibimur.

403: ne tu hercle sero, opinor,
Resipísces. si ad erum . . .

Cf. Trin. 618. Pseud. 623. 1193. 1240. Mil. glor. 162. 175. 364. 413. 462. 618. 646. 1025. 1161. 1172.

B. in senariis iambicis.

Trin. 771: Quasi ád adulescentem a patre ex Seleucia
Veniát: salutem ei nuntiet verbis patris.

817: Eumque húc ad adulescentem meditatum probe
Mittam. # Éo ego . . .

Pseud. 13: id te Iuppiter
Prohibéssit.

53: quindecim miles minas
Dederát: nunc unae quinque remorantur minae.

Mil. glor. 562: at non malitiose tamen
Feci. # Ímmo indigne.

565: egone si post hunc diem
Muttívero, etiam quod egomet certo scio.

576: quam benigne gratiam
Fecít, ne iratus esset.

Cf. Trin. 503. 574. 778. Pseud. 412. 434. 1000. 1077. Mil. glor. 553. 555. 589. 1121.

Haec fere exempla mihi digna visa sunt quae rem comprobarent. Atque apparet poetam verbum, ubicunque libuit, e sua sententia versuque demptum in proximum versum transtulisse. Verbum ipsum ea transpositione maiorem vim minime accipere, iam cum de Graecis verba facerem, non semel demonstravi. Hoc igitur loco satishabeo modo de illis locis monere, in quibus fortasse quispiam offenderit: eos dico, ubi verbum translatum prima versus thesi absolvitur postque vel distinguitur vel etiam alterius personae incipit oratio. Ex eis, quae supra posui, exemplis huc pertinent: Trin. 817 sq. *Mittam.* # *éo ego*... Mil. glor. 562 sq. *Feci.* # *ímmo*... His addo:

Amph. 1141: Tu cum Álcumena uxore antiquam in gratiam
Redi: haúd promeruit quam ob rem vitio vorteres.

Bacch. 997: Patér ducentos Philippos quaeso Chrysalo
Da, si ésse salvom vis me aut vitalem tibi.

Cf. Amph. 563, quem locum paulo infra laudavi.

Nec formam verbi ullo modo impedire, quominus transponatur, intellegas ex his:

Most. 1173: tu quiesce hanc rem modo
Pétere: ego illum...

Poen. 522: Líberos homines per urbem modico magis par est gradu
Íre: servile esse duco festinantem currere.

Rud. 1376: iuratust mihi
Dáre. # Lubet iurare.

Nec numeri quicquam valent contra; nam in baccheis invenies:

Amph. 563: Malúm quod tibí di dabúnt atque ego hódie
Dabo [1]. # Ístuc tibíst in manú.

ib. 569: Iuppitér te
Perdát [2]. # Quid malí sum, ere, tua éx re proméritus?

neque aliter in creticis:

Capt. 235: Éx bonis péssumi et fraúdulentíssimi
Fíunt [3] nunc út mihi té volo esse aútumo.

Ad extremum verbi auxiliaris *posse* haec accipe exempla:

Amph. 587: quae neque fieri
Póssunt neque fando umquam accepit quisquam, profers, carnufex.

---

1) Libri *dabo* superiori versui addunt (B: *Dabo*).
2) Libri *Perdat* sup. v. add.
3) *Sunt* libri, at Hermanni coniecturam *Fiunt* apparet esse veram.

Epid. 497: Neque mé quidem emere quisquam ulla pecunia
Potuít: plus iam sum libera quinquennium.

Cf. etiam Bacch. 865.

Quae cum ita sint, me etiam conamina virorum doctorum, ubi eiusmodi locos sollicitaverunt, reicere audere, vix opus est dicere, velut Pers. 359 sq., ubi ex codicum A et B fide scribendum est:

Meó modo istuc potius fiet quam tuo
Fiát. Quae hae res sunt?

Mecum facit Ussingius, qui idem locum bene explanavit. Quod autem in codicibus post *Fiat* personae nota extat, vix tanti momenti, quanti putavit Schoellius, qui hoc inter argumenta affert, cur verbum *Fiat* sustulerit substituto *Heia!*, quod Virgini dat. Quod tandem *Fiat* languide claudicare ait Schoellius, verum vidit quodammodo: at non magis hoc loco *Fiat* claudicat quam v. g. Amph. 563 (vide supra) illud *Dabo;* utrumque ad sensum quod attinet prorsus supervacaneum est.

Etiam minus probabilitatis speciem nactus est Schoellius Truc. 708 sq., ubi est:

Núnc speculabor, quid ibi agatur, quis eat intro, qui foras
Véniat; procul hinc observabo meis fortunis quid fuat.

illud *Veniat* impugnans; immo locus perbene stat.

IX. Verbi *esse* formae praedicati loco positae (nomine aliquo plerumque addito) a verbis nexis per versus exitum removentur.

1. Verbum substantivum in priore versu extat.

A. in versibus longioribus.

Trin. 1087: Égo miser summis periclis sum per maria maxuma
Véctus[1]) capitali periclo per praedones plurumos.

Pseud. 1154: si tu quidem es
Léno Ballio.

Mil. glor. 457: Scéledre e manibus amisisti praedam: tam east quam potis
Nóstra erilis concubina.

Asin. 598: Audín hunc opera ut largus est nocturna? nunc enim esse
Negótiosum interdius videlicet[2]) Solonem.

---

1) comma post *vectus* male ponunt editores.

2) Illud *vidēlicĕt* cum parum placeat, ausim *videlicet et* scribere; quod cui non ferendum videtur scribat: *videlicet ut Solonem.*

B. in senariis iambicis.

Trin. Pseud. Mil. glor. exempla, quae vel aliquid miri habeant, non offerunt; aliunde addo:

Curc. 449: quia enim in cavea si forent
Conclúsi[1]) itidem ut pulli gallinacei.

Videmus igitur talia hic atque illic admissa esse; quae autem sunt paulo molestiora, ut Trin. 1087 et imprimis Curc. 449, raro occurrunt.

2. Verbum substantivum in altero versu extat.

Minus offendent ea exempla, ubi verbum substantivum non solum translatum est, sed una saltem vox additur.

A. in versibus longioribus.

Pseud. 681: Béne ubi quoi quod scimus consilium accidisse, hominem catum
Eum esse declaramus.

Mil. glor. 246: sed simillumas
Dícito esse: et Philocomasio . . .

642: Vél cavillator facetus vel conviva commodus
Ídem ero: neque ego oblocutor sum alteri in convivio.

Capt. 571: tun te Philocratem
Ésse ais?

B. in senariis iambicis.

Trin. Pseud. Mil. glor. aptis exemplis carent; e ceteris fabulis affero:

Capt. 96: quae aedes lamentariae
Mihi súnt, quas quotiensquomque conspicio, fleo.

Truc. 432: ut, quando otium
Tibi sít, ad me revisas.

Stich. 168: Solére elephantum gravidam perpetuos decem
Esse ánnos: eius ex semine haec certost fames.

Talia igitur exempla, ubi una cum verbo substantivo alia quaelibet vox in alterum versum transfertur, nihil habent miri, modo teneamus pausam in prima parte versus esse valde acceptam.

Multo minus ferenda autem visa sunt viris doctis ea exempla, ubi solum verbum substantivum e sua sententia demptum in alterius versus initium transfertur. Exempla huius rei, quae ex omnibus

[1]) Fleckeisenus hiatus evit. causa *illi* inserit.

fabulis Plautinis contuli — nisi quod cantica fere tum modo, ubi discriptio erat certissima, respexi — sunt haec:

A. in versibus longioribus:

a. sept. troch.

Asin. 345: Díco me novisse extemplo et me eius servom praedico
Ésse et aedis demonstravi nostras.

Capt. 884: quia enim item asperae
Súnt, ut tuom victum autumabas esse.

Cas. 547: ubi nuptiae
Fúerint, tum istam convenibo.

Merc. 1007: eadem brevior fabula
Érit. eamus.

b. sept. iamb.

Mil. glor. 927: ni ludificata lepide
Ero, cúlpam omnem in me inponito.

Most. 159: Evéntus rebus omnibus, velut horno messis magna
Fuit. # Quíd ea messis attinet ad meam lavationem.

B. in senariis iambicis.

Aul. 667: Fidé censebam maxumam multo fidem
Esse: éa sublevit os mihi paenissume.

Capt. 85: Prolátis rebus parasiti venatici [1])
Sumus: quándo res redierunt, sumus [2]) molossici.

119: Omnés profecto liberi lubentius
Sumus quám servimus.

Truc. 28: Quot illíc blanditiae, quot illic iracundiae
Sunt, quot [3])

Pseud. 541: quis me audacior
Sit, si ístuc facinus audeam?

C. in canticis.

Most. 799: si male émptae
Forént, nobis ístas redhibére haut licéret.

Pseud. 247: qui tibí sospitális
Fuít. # Mortuóst qui fuít: qui sit úsust.

---

1) In fine glossema *canes* legitur.

2) Libri *sumús: quando res rédierunt, molóssici* duriuscule; alterum *sumus* Birtius.

3) Reliqua aperte corrupta sunt (extat enim: *sui perclamanda*) necdum coniectura certa restituta; priorem autem versus partem vindico, cum veritatis speciem prae se ferat.

Amph. 157: Nec caúsam liceat dícere mihi néque in ero quicquam aúxili [1])
Siét nec quisquam sít quin me omnes ésse dignum députent.

Liceat adicere Amph. prol. 44 sqq., quem locum sic scripserim maximam partem Ussingium secutus:

quis benefactis meus pater,
Deorúm regnator, architectus omnibus
Sit [2])? Mós numquam illic ílli fűït patri meo...

Haec fere exempla mihi occurrerunt. Neque opus est pluribus. Apparet enim Plautum hac in re eundem usum secutum esse, quem apud Graecos valuisse supra (cf. p. 7 et 10.) commemoravimus. Nec causas huius rei investigare difficile est. Scilicet versus spatium non sufficiebat: ergo supra eius terminos opus fuit evadere. Et quoniam verbum in enuntiatis solet ultimum locum tenere, quid, quaeso, verisimilius magisque consentaneum fuit quam ipsum verbum in insequentem versum transferri? Quod autem statim in initio alterius versus distinguitur, nihil habet miri: pausa, quae alibi fit in versus fine, locum mutavit [3]), non desiit esse. — Atque, ut solet, quod primo fuit licentia, facile fit usus, ne dicam studium.

X. E duabus (vel compluribus) vocibus eiusdem generis plerumque coniunctis particularum ope quae sunt: *et que atque neque aut quam*, raro asyndete positis una in alterum versum transfertur [4]).

A. in versibus longioribus.

Mil. glor. 411: Inde ígnem in aram, ut Ephesiae Dianae laeta laudes
Gratísque agam eique ut Arabico fumificem odore amoene.

---

[1]) Libri *auxilii siet* in fine versus exhibent; at in talibus minutiis codicum discriptio non multum valet; Cf. v. g. Amph. 563. 569, quos locos supra (p. 50) citavi.

[2]) Libri: *Sed mos numquam illi fuit p. m.* Ussingius (in adn.): *Sit? mos numquam ille illi fuit p. m.*

[3]) Simile est quod in septenario trochaico locus caesurae sive pausae mutatur.

[4]) In hoc loco atque in sequentibus, ubi aptum videbatur, excussi illas quidem tres fabulas primas omniaque, ut soleo, digniora exempla siquae offerunt collegi; si tamen illae aut nulla offerunt aut non sufficientia, tacens reliquas fabulas adhibui et exempla ita, ut res desiderabat, studui ordinare, fabularum ordine minus respecto.

971: Núnc te orare atque obsecrare iussit, ut eam copiam
Síbi potestatemque facias.

Amph. 1021: Ita loquor. # Tibi Iuppiter
Díque omnes irati certo sunt.

Men. 811: summum Iovem
Deósque do testis — # Qua de re...

Mil. glor. 670: Huíc pro meritis ut referri pariter possit gratia
Tíbique, quibus nunc me esse experior summae sollicitudini.

1354: Quámquam alios fideliores semper habuisti tibi
Quám me, tamen tibi habeo magnam gratiam rerum omnium.

Most. 1162: Nón potuit venire orator magis ad me inpetrabilis
Quám tu: neque illi iam sum iratus neque quicquam ei suscenseo.

Mil. glor. 690: Vérum priusquam galli cantent, quae me e somno suscitet
Dícat: da, mi vir, Calendis meam qui matrem moenerem.

1239: Si pól me nolet ducere uxorem, genua amplectar
Atque óbsecrabo.

B. in senariis iambicis.

Trin. 490: Di dívites sunt, deos decent opulentiae
Et fáctiones.

Mil. glor. 564: nam hominem servom suos
Domitós habere oportet oculos et manus
Orátionemque.

Men. 552: Sed quíd ego cesso, dum datur mi occasio
Tempusque, abire ab his locis lenonicis?

Poen. 477: viscum legioni dedi
Fundasque.

Pseud. 836: at te Iuppiter
Dique ómnes perdant cum condimentis tuis.

Most. 38: at te Iuppiter
Dique ómnes perdant.

Men. 471: ni hanc iniuriam
Meque últus pulcre fuero.

Trin. 24: Inmoénest facinus, verum in aetate utile
Et cónducibile.

518: Arcano tibi ego hoc dico, ne ille ex te sciat
Neve álius quisquam.

794: Apud pórtitores eas resignatas sibi
Inspéctasque esse.

Men. 98: Nam [illi] íllic homo homines non alit, verum educat
Recreátque: nullus melius medicinam facit.

466: si ego tibi hanc hodie probe
Lepidéque concinnatam referam temperi?

Haec fere exempla doceant, quid in hac re Plautus admiserit. Videmus etiam talia vocabula — sive substantiva sive adiectiva adverbiaque sive etiam verba —, quae artius cohaerere suspiceris, vel versu iubente (ut *Iuppiter dique o. p.*) vel libero arbitrio Plautum versus fine dirimere non dubitasse. Moneo hoc tantum, asyndeta, ut consentaneum est (nam eo ipso, quod arte collocantur, coniunctionum ope possunt carere) non facile dissecari (ut Mil. glor. 690).

XI. Nomen proprium a suo nomine appellativo seiungitur.

A. in versibus longioribus.

Trin. 602: nostrum erilem filium
Lésbonicum suam sororem despondisse.

894: Páter istius adulescentis dedit has duas mi epistulas,
Lésbonici: is mi est amicus.

Pseud. 626: qui res rationesque eri
Bállionis curo.

678: Céntum doctum hominum consilia sola haec devincit dea,
Fórtuna. atque hoc verumst.

1197: proin tu Pseudolo
Núnties abduxisse alium praedam qui occurrit prior [1])
Hárpax. # Is quidem edepol Harpax ego sum.

Mil. glor. 416: Haec múlier, quae hinc exit modo, estne erilis concubina
Philocómasium an non est ea?

Truc. 130: Dic quó iter inceptas? quis est, quem arcessis? # Archilinem
Tonstrícem. # Mala tu femina's.

[1]) In fine versus non distinguendum est (Ussingium sequor); pro appellativo hoc loco pronomen *qui* habes, quocum coniungendum est *Harpax*.

B. in senariis iambicis.

Trin. Pseud. Mil. glor. exempla digniora non offerunt; aliunde addo v. g.

Truc. 669: Mirúm videtur rure erilem filium
Strabácem non redisse.

XII. Genetivus a nomine vel pronomine pendens versu avellitur.

A. in versibus longioribus.

Mil. glor. 974: sicut soror
Eíus huc gemina venit Ephesum.
Men. 369: quid mecum tibi
Fúit umquam aut nunc est negoti.

B. in senariis iambicis.

Trin. 542: Tum autém Surorum, genus quod patientissimumst
Hominúm, nemo extat qui ibi sex menses vixerit.
998: Postquam ílle hinc abiit, post loquendi libere
Vidétur tempus venisse atque occasio.
Pseud. 129. 130: ostium
Lenonis crepuit.
Bacch. 168: Istáctenus tibi, Lyde, libertas datast
Orátionis: satis est.
900: Illa autem in arcem hinc abiit aedem visere
Minérvae. nunc apertast.
Amph. 472: Adeo úsque satietatem dum capiet pater
Illíus quam amat.
Most. 611: Pater éccum advenit peregre non multo prius
Illíus: is tibi et faenus et sortem dabit.
1016: quod me absente tecum hic filius
Negóti gessit.
Pers. 674: si quid bonis
Boní fit, esse id et grave et gratum solet.

XIII. Adiectivum solute (praedicative) positum versu seiungitur.

A. in versibus longioribus.

Mil. glor. 279: tu sali
Sólus: nam ego istam insulturam et desulturam nihil moror.

Merc. 152: liberum
Cáput tibi faciam cis paucos mensis.

B. in senariis iambicis.

Trin. 510: Quom adfínitate vostra me arbitramini
Dignum, hábeo vobis, Philto, magnam gratiam.

Poen. 455: Quoniám litare nequeo, [ego] abii illim ilico
Irátus: exta votui prosicarier.

XIV. Epitheton a suo positivo seiungitur.

Ultimis quattuor locis quoniam absolvimus quae paulo minus memorabilia videntur, quamvis et in his hic atque illic uno modo vocabulo in alterum versum translato, ita ut post distinguatur, pausa illa quam diximus agnoscenda sit, iam pervenimus ad maiorem rem. Tractabimus enim epitheta a suis positivis versus fine disiuncta. Commendat autem natura rei ususque Plautinus, ut quinque genera distinguamus; primo enim loco tractabimus pronomen demonstrativum, determinativum, relativum, interrogativum, indefinitum; secundo numeralia; tertio pronomen possessivum; quarto duo vel compluria adiectiva uni positivo addita; quinto unum adiectivum positivo additum.

1. Pronomen demonstr., determ., relat., interrog., indefin. a suo positivo versu secernitur.

a. pronomen artius cohaeret cum suo substantivo.

A. in versibus longioribus.

Trin. 1123: sed fores
Haé sonitu suo mihi moram obiciunt incommode.

Mil. glor. 607: Séd speculabor, ne quis aut hinc aut ab laeva aut dextera
Nóstro consilio venator adsit cum auritis plagis.

701: nam hercle si istam semel amiseris
Líbertatem, haud facile in eundem rusum restitues locum.

951: quae tibi
Cóndicio nova et luculenta fertur per me interpretem.

1344: obsecro, quem amplexa sum
Hóminem?

Rud. 316: Nullum ístac facie ut praedicas venisse huc scimus. # Ecquem
Recálvom ac silonem senem...?
1378: si vidulum
Húnc redegissem in potestatem eius.
Stich. 552: is ipse quasi tu. tum senex
Ílle quasi ego „si vis“ inquit.

B. in senariis iambicis.

Pseud. 58: ei rei dies
Haec praéstitutast: proxuma Dionysia.
767: Quoi sérvitutem di danunt lenoniam
Puero átque eidem si addunt turpitudinem.
1017: Peiórem ego hominem magisque vorsute malum
Nunquam édepol quemquam vidi.
Mil. glor. 73: Ut ín tabellis quos designavi hic heri
Latrónes, ibus dinumerem stipendium.
1392: Qui omnís se amare credit, quaeque aspexerit
Muliér, quem oderunt qua viri qua mulieres.
Most. 760: Nam síbi laudavisse hasce ait architectonem
Nescíoquem, esse aedificatas has sane bene.

Talia igitur pronomina, ut compluribus vocibus interpositis facile a suo positivo dirimuntur, satis licenter etiam ipso versus fine ab eo avelli possunt lege nulla. Apparet autem causam huius rei in pronominum natura sitam esse, qua aut nomen aliquod antecapiunt, ita ut nomen ipsum post complures voces vel etiam in altero versu sequatur, aut nomen antecedens post redintegrant. Quo tamen magis appareat, quam libera in hac re Plautini sermonis consuetudo sit, pauca exempla, quae mihi videbantur aptissima quibus res illustraretur, a reliquis separata pono. Conferendus est de tota re Brixius ad Mil. glor. 122. 432. et idem nov. annal. vol. 101. p. 779. Iam sequuntur exempla.

b. pronomen licentius ac quasi πλεοναστικῶς additur.

A. in versibus longioribus.

Trin. 950: Quíd ais? tu nunc si forte eumpse Charmidem conspexeris,
Íllum quem tibi istas dedisse conmemoras epistulas.

Illum cum suo positivo *Charmidem* adeo non cohaeret, ut cum Brixio in fine prioris versus liceat distinguere. Redintegratur quasi illud *Charmidem*, quo magis auditores intellegant, de quo agatur.

Mil. glor. 242: Út, si illic concriminatus sit advorsum militem,
Méus conservos, se eam vidisse hic cum alieno oscularier.

Huic loco eadem est ratio, nisi quod hic pronomen *illic* antecapit, illic (Trin. 950) pronomen *illum* nomen renovat.

Mil. glor. 431: ne clam quispiam
Nós vicinorum inprudentis aliquis inmuteravit.

Cf. infra Asin. 785. Bothius et Ritschelius *quispiam* non ferentes *quidpiam* vel *quipiam* voluerunt, quod iure suo reiecit Brixius.

B. in senariis iambicis.

Pseud. 808: me nemo potest
Minóris quisquam nummo ut surgam subigere.

Mil. glor. 25: vel elephanto in India
Quo pácto ei [1]) pugno praefregisti bracchium.

1293: Nam quaévis alia, quae morast aeque, mora(,)
Minor éa videtur quam quae propter mulieremst.

Asin. 785: ne quid sui
Membrí conmoveat quicquam in tenebris.

Fortasse quaeret quispiam, cur haec ego attulerim. Attuli sane non quo crederem pronomen hoc modo πλεοναστικῶς positum non bene versus fine avelli, sed quod illud potius offenderet, si versus finis non intercederet, praesertim si positivum et tale pronomen in uno metro arte collocarentur. Huius rei unum gravissimum exemplum extat Poen. 1069: *Patér tuos is erat frater patruelis meus,* ubi qui *is* librorum tollit, versum sane non meliorem reddit.

2. Numeralia a suis positivis versu secernuntur.

a. numeralia impropria.

A. in versibus longioribus.

Trin. 1046: nam id genus hominum hominibus [2])
Únivorsis est advorsum atque omni populo male facit.

Animadvertas poetam ludere similitudine verborum *univorsis* et *advorsum*; etiam *hominum hominibus* comice dictum est.

Mil. glor. 288: Átque ego illi aspicio osculantem Philocomasium cum altero
Néscioquo adulescente.

Lorenzius in fine prioris versus distinxit; quod non prorsus displicet.

---

[1]) *ei* om. Pal. et Ritschelius!

[2]) *omnibus* libri praeter Z omnes; ante *hominibus* hiatur.

Mil. glor. 659: Át quidem illuc aetatis qui sit, non invenies alterum
Lépidiorem ad omnis res nec magis qui amico amicus sit.

Poen. 582: tot quidem
Nón potuisti adducere homines magis ad hanc rem idoneos.

Curc. 124: Nam tíbi propitiantes amantes vinum dant potantes
Omnes: mihi haud saepe evenunt tales hereditates.

Bacch. 982: Quid ait? # Verbum
Núllum fecit.

(Cf. supra p. 46.)

B. in senariis iambicis.

Pseud. 771 ubi ego omnibus
Parvís magnisque ministeriis praefulcior.

Similiter Amph. 1132. Epid. 522. Poen. 499.

Most. 532: Sceléstiorem ego annum argento faenori
Nunquam úllum vidi.

b. numeralia propria.

A. in versibus longioribus.

Mil. glor. 763: haud centensumam
Pártem dixi. (Cf. Capt. 421.)

Stich. 539: ei filiae
Dúae erant, quasi nunc meae sunt. (Cf. Epid. 236.)

B. in senariis iambicis.

Trin. 774: ferat epistulas
Duas: eás nos consignemus, quasi sint a patre.

(Cf. Rud. 128. Most. 775.)

Stich. 168: Solére elephantum gravidam perpetuos decem
Esse ánnos.

3. Pronomen possessivum a suo positivo versu disiungitur.

A. in versibus longioribus.

Trin. 1143: ut filius
Túos, quando illi a me darem, esse adlatum id aps te crederet. (Cf. 1147.)

Pseud. 649: qui argentum adferret atque expressam imaginem
Súam [1]) huc ad nos.

---

1) Hiatus post *suam* quem offendit, scribat *suampte*, quod Theodoro Birtio debeo.

Mil. glor. 441: geminam germanam méam
Híc sororem esse indaudivi.
635: Ímmo, hospes, magis quom periclum facies, magis nosces meam
Cómitatem erga te amantem.
799a: ego recte meas[1])
Aúris utor.

B. in senariis iambicis.

Trin. 141: quod meae concreditumst
Tacitúrnitati clam, fide et fiduciae.
1100: Thensaúrum effodiebam intus dotem filiae
Tuae quaé daretur.
Pseud. 482: ecquam scis filium tibicinam
Meum amáre?
849: Verúm pro pretio facio ut opera appareat
Mea, quó conductus venio.
Mil. glor. 542: Quid opsecras me? # Inscitiae
Meae ét stultitiae ignoscas.
563: nam hominem servom suos
Domitós habere oportet oculos et manus.

Haec fere exempla tres illae fabulae offerunt: quod autem semper formae *meus tuus suus* sic usurpantur, non autem *noster* et *voster*, propter maiorem frequentiam illarum formarum nihil habet mirum. Addo ne quis tale quid desideret:

Bacch. 172: qui aedibus
Propínquos nostris accolis.
237: Nam méus formidat animus, nostrum tam diu
Ibi désidere neque redire filium.

Similiter Epid. 597 in sept. troch. His igitur exemplis positis quanquam spero me demonstravisse pronomen possessivum a suo positivo semper posse avelli, tamen quae non ferenda visa sunt aut fortasse cuipiam possunt videri liceat addere.

Rud. 742: o filia
Méa, quom hanc video mearum me absens miseriarum conmones.
Asin. 433: Quoi datumst? # Sticho vicario ipsi
Tuo. # Váh! delenire adparas.
Truc. 531. in appendice I (p. 75) tractabitur.

1) *meis* libri Pal. (in A non appar.); insequ. vers. sic restituit ex vestigiis Ambrosiani Seyffertus; in B. versus deest.

Bacch. 879: Quid fit? # Ducentis Philippis rem pepigi. # Ah [1]), salus
Mea, sérvavisti me.

Plauti frgm. [2]) v. 208: Immo íd, quod nostrast haec patria et quod hic meus
Pater, íllic autem Soterinis est pater.

Sic proxime ab libris versus constituendos esse suspicatur Winterus, quod laudo. — Contra valde dubito, num Poen. 163 sq. ab editoribus (Goetzio et Loewio) recte versus constituti sint tales:

Iocáre. # Vin tu illam hodie sine dispendio
Tuo tuám libertam facere?

ubi codd. habent: *sine damno et dispendio tuo (Tuo* B*)*; nam nusquam, quod sciam, apud Plautum pron. pers. transfertur, si in alterius versus initio idem pronomen redit.

Hoc autem exemplo sublato possumus constituere Plautum in vocibus *meus tuus suus* per versus finem a positivis separandis fere quidvis sibi indulsisse. Atque hoc sane mirandum est; nam, ut infra videbimus, in reliquis adiectivis seiungendis fuit cautissimus. Causas igitur huius rei quaerenti mihi videtur primum apparere, eam rationem non sufficere, qua usi supra (p. 13 et 45) illud, quod formae *mihi tibi sibi* tam saepe ultimum versus pedem efficiunt, e prosodia eorum vocabulorum pendere constituimus. Nam ex exemplis elucet, et in fine versus antecedentis et certe non rarius in initio insequentis versus pronomina *meus tuus suus* extare. Potius sic, opinor, ratiocinandum est. E multis eorum, quae posuimus, exemplis apparet *meus tuus suus* persaepe ad sensum fere nihil valere. Velut in tali exemplo (Most. 997):

nam eccum, unde aedis filius
Meus emit (cf. ib. 637 et Capt. 140)

meus quam minimam vim habere nemo non videt. Ad hoc argumentum e sensu repetitum accedit sane illud alterum ad formam pertinens: formae horum pronominum solent aut pyrrhichium pedem aut iambum efficere; si autem in initio versus extant, nihil fere interest inter pyrrhichium verum et talem iambum — qui praeterea saepe eliditur —: in pronuntiatione igitur horum pronominum formae minimam vocis vim accipiunt, in senariis quique sunt reliqui versus [3]) qui a thesi incipiunt, prorsus devorantur.

---

[1]) *Vah* et *servasti* libri; corr. Bothius.

[2]) Ex ed. Winteri.

[3]) Velut in cantico baccheo-iambico, quod extat Most. 85 sqq. scriptum videmus versu 97 sq.

Ego ésse autumó, quando dicto audiëtis
Mea, haud áliter id dicétis.

ubi *Mea, áliter hau dicetis* Ritschelius iusto licentius.

4. compluria adiectiva uno positivo addita sunt, versu autem disiunguntur ab eo.

A. in versibus longioribus.

Pseud. 697: ut aliquem hominem strenuom
Bénevolentem adducerem ad se.

960: hoc est sextum a porta proximum
Ángiportum.

988: o, Polymachaeroplagides
Púrus putus est ipsus.

Mil. glor. 441: geminam germanam meam
Híc sororem esse indaudivi.

687: eme, mi vir, lanam, unde pallium
Málacum et calidum conficiatur.

B. in senariis iambicis.

Trin. 750. Pseud 460. 793. Mil glor. 9. 502, quos locos piget exscribere, cum, si voluisset poeta, versus vix recepisset positivum cum suis epithetis omnibus. Digniora sunt, quae commemorentur (praeter Amph. 1108 infra p. 67 laud.):

Men. 289: quibus hic pretiis porci veneunt
Sacrés sinceri?

487: quid ais, homo
Leviór quam pluma, pessume et nequissume.

Pers. 437: nummi sescenti hic erunt
Probí numerati.

Talia tamen vix quenquam offendent. Restat, ut quinto loco ea exempla ponamus, ubi unum adiectivum positivo additum altero versu, altero positivum ipsum includitur. Videtur autem aptum primum separatim tractare adiectiva a nominibus propriis derivata, tum ea, quae solito amplius spatium obtinent, post reliqua, quae utraque excusatione carent, comprehendere. Cum huius rei gratia omnes fabulas aeque adhibuerim ac sperem graviora me non fugisse, illas tres fabulas distinguere non opus erit.

5. Unum adiectivum a suo positivo seiungitur:

a. adiectivum a nom. propr. derivatum est.

A. in versibus longioribus.

Trin. 954: qui mi mille nummum crederet
Phílippum, quod me aurum deferre iussit ad gnatum suom.

Pseud. 1162: quasi a Macedonio
Mílite esset.

B. in senariis iambicis.

Pseud. 1040: Non égo te ad illum duco dentatum virum
Macédoniensem, qui te nunc flentem facit.
Truc. 391: propter militem
Babylóniensem, qui quasi uxorem sibi
Me habébat.

Addo Curc. 78, ubi e coniectura Pyladis scribitur in ed. Ritsch.:
Quasi tú lagaenam dicas, ubi vinum solet
Chium ésse.

Offendit tamen hoc loco adiectivum *Chium* minusculum ambitum habere; expectabatur fere polysyllabum; vide infra; itaque rectius e codd. fide scribendum est cum Ussingio:
ubi vinum Chium
Solet ésse.
ut in voce *Chium* prior syllaba corripiatur.

b. adiectivum solito amplius spatium obtinet.

A. in versibus longioribus.

Rud. 373: quamvis fastidiosus
Aedílis est.
Curc. 490: si quisquam hanc liberali
Causá manu adsereret...
Epid. 706: Quómodo me ludos fecisti de illa conducticia
Fídicina? # Factum hercle . . .

B. in senariis iambicis.

Amph. 980: dum cum hac usuaria
Uxóre nunc mihi morigero.

c. Adiectivum a suo positivo versu seiunctum utraque excusatione caret.

α. Adiectivum aliis vocibus interpositis a suo positivo disiungitur.

A. in versibus longioribus.

Mil. glor. 450: hosticum [1]) hoc mihi
Ést domicilium [2]), Athenis domus est.

---

1) *hostium* libri (*ostium* CD).

2) *Domicilium est* B, quod non solum propter proceleusmaticum, sed etiam propterea minus placet, quod pronuntionioni: *Dómicilumst-dómus* Plautus praefert accentuum variationem.

Mil. glor. 473: sed numquam quisquam faciet, quin soror
Ístaec sit gemina huius.
974: sicut soror
Éius huc gemina venit Ephesum.
Amph. 303: heri quod homines quattuor
Ín soporem conlocastis nudos.
Epid. 202: sed, ere, optuma
Vós video opportunitate ambae advenire.

B. in senariis iambicis.

Trin. 493: Aequó mendicus atque ille opulentissimus
Censétur censu ad Accheruntem mortuos.
Mil. glor. 508: Quod cóncubinam erilem insimulare ausus es
Probrí pudicam [1]) meque summi flagiti.
551: Nam ex uno puteo similior numquam potis
Aqua aquái [2]) sumi quam haec est atque ista hospita.
Bacch. 209: em non tantulum
Umquam íntermittit tempus, quin eum nominet.
Amph. 314. Most. 775. Rud. 1235 v. sub β.

Talia saepius apud Plautum occurrunt; apparet enim, siquidem adiectivum et substantivum compluribus vocibus interpositis disiunguntur, nihil fere interesse, utrum eodem versu comprehendantur necne.

β. Adiectivum et positivum arte collocantur nulla voce aut parva tantum vocula intercedente.

Hac in re etiam distinguendum est inter adiectiva trisyllaba et disyllaba; et illa quidem primum tracto.

A. in versibus longioribus.

Pseud. 732: sed quinque inventis opus est argenti minis
Mútuis, quas hodie reddam.
Mil. glor. 204: ferit (?) femur
Déxterum, ita vehementer eicit: quod agat, aegre suppetit.
Aul. 649: age rusum ostende huc manum
Déxteram. # Em. # Nunc laevam ostende.

B. in senariis iambicis.

Trin. 789: Non árbitraris tum adulescentem anuli
Patérni signum novisse?

1) Cf. p. 21.
2) De codd. var. script. cf. ed. Ritsch.² cf. Men. 1089.

Pseud. 85: sed potes nunc mutuam
Drachumám dare unam mihi, quam cras reddam tibi?
Bacch. 1010: nam ducentis aureis
Philippís redemi vitam ex flagitio tuam.
(Cf. Poen. 165. 713.)
Pers. 99: o mi Juppiter
Terréstris, te coepulonus compellat tuos.
Cist. 377: Nam míhi ab hippodromo memini afferri parvolam
Puéllam, eamque me mihi supponere. (Cf. ib. 125.)
Imprimis observandi sunt superlativi:

A. in versibus longioribus.

Amph. 314: pessumumst
Fácinus, nequiter ferire malam.
1063: ibi nescioquis maxuma
Vóce exclamat.
Capt. 531: quid conminiscar? maxumas
Núgas [1]).

B. in senariis iambicis.

Most. 420: iussit maxumo
Opere órare. (Cf. Cas. 992.)
775: Alexándrum magnum atque Agathoclem aiunt maxumas
Duo rés gessisse.
Rud. 1235: in aetate hominum plurumae
Fiúnt transennae.

Atque in his exemplis videmus formam gradus superlativi in fine versus extare, ad quem propter prosodiam aptissimam esse nemo negabit. Duo modo, ni fallor, inveniuntur exempla, ubi in initio alterius versus talis forma extat:

Amph. 1108: Dévolant angues iubati deorsum in inpluvium duo
Máxumi: continuo extollunt ambo capita.
Pers. 474 (quem locum apparet aliunde excusationis satis habere):
qui Atticam hodie civitatem
Máxumam maiorem feci. (similia v. p. 20 et 21).

Contra adiectivi disyllabi a suo positivo rescissi, ni omnia me fallunt, in versibus, quos tracto, modo duo inveniuntur exempla; quorum prius Capt. 609, ubi extat:

ego te, Philocrates
Fálse, faciam ut verus hodie reperiare Tyndarus,

non solum ex allitteratione, sed etiam ex contraposito, ut ita dicam,

---

[1]) Reliqua non sana.

verborum *False* et *verus* satis habet excusationis (cf. supra p. 20). Alter locus extat Mil. glor. 1125:

quin potius per gratiam
Bonam ábeat aps te.

Cuius loci similis nusquam apud Plautum invenitur. In hoc autem ipso loco idem fit, quod supra in pronomine possessivo (si in initio alterius versus extat) solere vidimus: illud *bonam* et, quod ad versum attinet, prima thesi absolvitur, et, si sensum respicimus, prorsus nullam habet vim: nam *per gratiam bonam* nihil amplius aut est aut potest esse, quam quod supra (v. 979 huius fabulae) significat *per gratiam* (cf. Brixium ad h. l.).

Possumus igitur constituere Plautum tale quid non admisisse [1]):

nam bonum
Servóm decet curare, quodquomque erus iubet
quia virum
Fortém laudari saepe nos audivimus.
advenit hodie magna
Navís, quae advexit mulieres.
scio edepol negotium
Mágnum me suscepisse hodie.

Contra minus offendat, si extet:

certumst virum
Fortém, fortuna malevolens quae dat, pati.

XV. Coniunctiones a suis sententiis separatae in fine versus prioris solae extant.

Coniunctiones intellego omnes eas voces, quae nihil aliud valent, quam ut aliquam sententiam aut adiungant aut subiungant. Liceat mihi igitur a levioribus ad graviora ascendenti singularum coniunctionum quae ad rem propositam faciant exempla ponere ex omnibus fabulis aeque collecta. Simul hoc loco aptius visum est septenariorum iambicorum, quorum in fine alias coniunctiones extare quam in fine versuum in iambum exeuntium necesse est, exempla separata addere. Ac primum quidem versus in iambum exeuntes, si placet, perlustremus,

---

[1]) Cave etiam credas huc pertinere Mil. glor. 522:

Heus, Philocomasium, cito
Transcúrre curriculo ad nos. (cf. v. 524).

Immo res ita sese habet, ut *cito* sit adverbium, *curriculo* autem adverbii loco fungatur, ut alibi quoque dicitur *curriculo percurrere;* cf. etiam quae supra dixi pag. 36.

ubi tacens in unaquaque coniunctione primo loco exempla in septenariis trochaicis occurrentia, tum e senariis collecta afferam.

Trin. 696: Néque volo neque postulo neque censeo: verum tamen
Ís est honos homini pudico, meminisse officium suom.

Stich. 559: Hércle qui aequom postulabat ille senex, quando [1] quidem
Fíliae illae dederat dotem, accipere pro tibicina.

Truc. 867: sed tamen
Cógitato mus pusillus quam sit sapiens bestia.

Cas. 348: Nam omnés mortales deis sunt freti: sed tamen
Vidi égo deis fretos saepe multos decipi.

299: Íbi ego te et suffragatores tuos ulciscar. # Attamen
Míhi optinget sors.

Mil. glor. 784: aequi istuc facio, dummodo
Eám des quae sit quaestuosa, quae alat corpus corpore.

Rud. 1061: ego opinor rem facesso. # Si quidem
Sís pudicus, hinc facessas.

Mil. glor. 28: pol si quidem [2]
Conísus esses, per corium per viscera
Perque ós elephanti transmineret bracchium.

Pseud. 507: Nunquam édepol quoiquam supplicabo, dum quidem
Tu [vívos] vives.

529: Ea círcumducam lepide lenonem: et quidem
Efféctum hoc hodie reddam utrumque ad vesperum.

Epid. 104: Rém tibi sum elocutus omnem, Chaeribule, atque admodum
Meórum maerorum atque amorum summam edictavi tibi.

551: Quid iam? # Quia [3]
Tuaé memoriae interpretari me aequom censes.

Poen. 1336: Quapropter? # Quia
Iniúriarum multo in duci satius est.

Most. 450: Quidum? # Sic: quia
Foris ámbulatis.

Most. 739: supra (p. 19) constituere ausus sum.

---

[1] *Quando* sub ictu vocis ultima longa uti mihi non adeo mirum videtur; cf. infra sub *siquidem*.

[2] De prosodia vocis *siquidem* cf. Brixium ad h. l.

[3] Cf. supra. p. 19.

Poen. 588: quóm eo quom quiqui, tamen
Ét bene et benigne facitis.
196: Quamquám Cupido in corde vorsatur, tamen
Tibi aúscultabo.
Capt. 742: Et sí pervivo usque ad summam aetatem, tamen
Breve spátium perferundi quae minitas mihi.
Trin. 120: (operam dare) Si quí probiorem facere posses, non uti
In eándem tute accederes infamiam.
Amph. 214: Respóndent bello se et suos tutari posse, proinde uti
Propériter de suis finibus exercitus deducerent.
Rud. 488 [1]): Deosque ímmortalis quaeso, dum vivas, uti
Omnís tui similis hospites habeas tibi.
Capt. 724: Ibi quom álii octonos lapides ecfodiunt, nisi
Cottídiano sesquiopus confeceris.
Curc. 51: Tam a mé pudicast, quasi soror mea sit, nisi
Sist ósculando quidpiam inpudicior.

Haec fere exempla certa in versibus in iambum exeuntibus inveniuntur; restat, ut quae septenarii iambici offerant, consideremus.

Mil. glor. 380: ecastor ergo
Mi hau fálsum evenit somnium, quod noctu hac somniavi.
Rud. 359: Ne te áleator nullus est sapientior. profecto [2])
Nimis lépide iecisti bolum.
380: in custodia esset semper. verum ecastor
Ut múlti fecit, ita probe curavit Plesidippus.
1305: Immo édepol una littera plus sum quam medicus. # Tum tu
Mendicus es?
Asin. 422: itaque iam hercle
Clamóre ac stomacho non queo labori subpeditare.
v. 482 sq. cum vix genuini sint, omitto.
616: immo hercle vero
Qui pendet multost miserior.

Haec fere exempla apta visa sunt, quae afferrentur. — Atque ut septenarios iambicos absolvamus, Rud. 1305 omittamus, qui versus tamen ne ipse quidem quidquam offert offensionis; nam monosyllaba in fine sept. iamb. non semel collocari supra (p. 22 in adn.) exposui. Ceterum possumus statuere semper aut polysyllabon in fine metri extare aut disyllabon ita ut alio vocabulo adiecto fulciatur; vide

[1]) Versum ex Ussingii editione posui; nam in Ritscheliana nescio quo casu post v. 408 excidit.

[2]) Vide quam solute positum sit illud *prófecto.* Licet fere scribere *profécto*!

ecastor ergo similia. Disyllaba autem coniunctio sola non extat, et praecipue talis coniunctio disyllaba, quae arte sententias copulat ut coniunctio *atque*, in fine versus non ferenda est. Itaque vix recte fecerunt Goetzius Loewiusque et Fleckeisenus, qui Asin. 585 Bothium secuti tales versus constituerunt:

> Manedúm. # Quid est? # Philaenium estne haec quae intus exit atque
> Una Árgyrippus? # Opprime os: is est. subauscultemus.

Libri praebent *exit* in fine prioris, *Atque Argyrippus una*... in altero versu. Priorem autem, qualem editores exhibent, vix sanum esse, nisi aures mentiuntur, vel illud *íntus éxit átque* accusat. Ego cum et in priore versu, qualem codices habent, aliquid desit et in altero aliquid abundet, illud *una* post *Argyrippum* positum in superiorem transfero sic scribens:

> Manedúm. # Quid est? # Philaenium estne haec, una quae intus exit
> Atque Árgyrippus?

Iam redeamus, si placet, ad ea exempla, quae e versibus in iambum exeuntibus collegi. Hic licet hanc, puto, legem constituere: coniunctio in fine versus stare potest, si aut complures syllabas (sive sola sive duae coniunctiones arte cohaerentes ut *quando-quidem, verum-tamen*) aut saltem duas complectitur ut *quia*.

Non eadem venia valet in coniunctiones monosyllabas. Hae num apud Plautum in fine versus ferendae sint, vehementer dubito vel potius prorsus nego. Nam canticis[1]) omissis hoc loco possis afferre haec exempla:

1) Amph. 549, ubi codices versus hos exhibent:

> Tánto brevior dies ut fiat faciam, ut aeque disparet
> Et dies enocte accedat.

ubi nonnulli *dispar et* in fine prioris versus voluerunt; verum versus gravius corruptos esse nemo non videt; cf. praeterea append. p. 79.

Paulo magis dubites in sequentibus:

2) Rud. 861, ubi codices habent (minutiis om.):

> Quin[e] árrabonem a me accepisti ob mulierem est
> Iam hinc abduxisti? # Non avexi. # Quor negas.

---

1) Atque ne in his quidem exempla, quae habeant aliquid certi, inveniuntur. Nam quod Men. 592 in A *ut* in fine versus extat, versus sanos esse nemo contendet; qui autem Cas. 710 vocibus *in*, 711 *et*, 729 *ut* etc. versiculos cum Schoellio concludit, eo ipso comprobat non versus, sed si modo quid constituit, versuum membra dissecta se constituisse.

Sic Pal.; ex A Schoellius testatur: *ulie*emet* non prorsus certis litteris extremis (at certe non *est* fuit); Studemundus contra in fine *em* exhibet nullis fenestris post indicatis; insequens autem versus in A ab *i* incipit (*Iã* etiam in B).

Valde doleo hoc ipso loco codicis A fidem non suppetere. Nam quod editores Acidalium e „codicibus" haurientem secuti solent *avexti* scribere pro *abduxisti*, facile apparet, utrum hoc an illud maiorem interpolationis speciem praebeat. Itaque cum notum sit coniunctionem *et* (quod nimirum illi *est* Pal. subest) saepius in nostris codicibus, etiam in A interdum (ut. Trin. 302), ab interpolatore in asyndeto insertum esse, ego proxime ab codicibus tale quid audeam:

Quine árrobonem a me accepisti ob mulierem?
Iam hinc ábduxisti? # Non avexi.

3) Rud. 1169, ubi Schoellium in omnibus secutus sic scribo:

Póstid ensicula argenteola et duae conexae maniculae
Ét suculast. # Quin tu i dierecta cum sucula et cum porculis.

Codices Palatini habent *maniculae et*. Sed in altero versu cum extet illa „crux philologorum", ut ait Ussingius, sc. *dierecta*, quippe cuius vocis prosodia variabilis sit (quod recte exposuit Ussingius ad Bacch. 577) nihil impedit, quominus illud *et* in alterum versum transponamus.

Ultra apud Plautum, quod sciam, tales loci, in quibus de coniunctione monosyllaba in fine versus collocanda possis cogitare, non inveniuntur. Nam quod Klotzius (Grundz. altröm. Metrik) p. 189 ait: „Vereinzelt begegnet Capt. 244 pér precem et | Per fortunam, ein Versschluss, der wohl bei Plautus zu verwerfen ist", nescioquid eum fefellit: nam *et* illo loco nec libri offerunt nec sententia fert.

Haec fere habui de Plauti consuetudine sententias inter singulos versus distribuendi quae dicerem. Si uno verbo licet rem comprehendere, Plauti artem hac in re dico satis liberam in initiis versuum constituendis, in finibus multo severiorem.

Appendix.

I. De singulis quibusdam locis Plautinis.

1. Men. v. 258 sq. sic distinguendi sunt:

Nam itást haec hominum natio in Epidamneis[1]):
Voluptárii atque potatores maxumei,
Tum sýcophantae et palpatores plurumei
In úrbe hac habitant.

Punctum duplex, quod vulgo post *natio* ponebant, in fine versus ponendum esse vidit Theodorus Birtius, quem verum vidisse ex sequentibus *in urbe hac* manifesto apparet.

2. Men. v. 1158 sq. sic distinguendi sunt:

Vénibunt servi suppellex, fundi[2]) aedes, omnia.
Vénibunt quiqui licebunt, praesenti pecunia.

Vulgo *omnia* cum sequentibus coniungunt; at quasi epigramma stant versus, dum cum eodem Birtio in fine distinguas (cf. supra p. 26).

3. Mil. glor. 1044: Magnum me faciam
Nunc, quóm illaec me sic conlaudat.

Sic editores solent interpungere. Hoc non modo contra Plauti rationem fit, qui adverbium ad verbum pertinens raro, si polysyllabon, nunquam autem, quod sciam, si monosyllabon est, in insequentis versus initium transponit (cf. p. 37 et 38), sed omnino ulla ratione caret, si modo id valet distinctionis signum, ut pausa aliqua fiat. Hos autem versus modo recites, facile apparebit, pausam nullo modo fieri post *Nunc*, sed in fine prioris versus, *Nunc* autem quam artissime cum *quom* coalescere. Item falso distinguitur Bacch. 518, ubi solent edere:

Igitúr mi inani atque inopi sublandibitur
Tum, quóm blandiri nihili pluris referet.

---

1) *natio Epidamnia* Pal.

2) Post *fundi* hiatur; *et* vix recte inseritur; possis de *fundis* cogitare.

In utroque igitur loco atque horum similibus ubi extant in fine versus distinguendum est[1]). Eadem est ratio Men. v. v. 77. 78, ubi est:

Iuvéntus nomen fecit Peniculo mihi,
Ideo quia mensam, quando edo, detergeo.

ubi Ritschelius et Brixius non distinxerunt, Ussingius mecum facit. Simillimus locus extat Stich. 181.

4. Mil. glor. 230: Pal. Dico et recipio
Ád me et ego[2]) inpetrare dico id quod petis.
Periplec. At te Iuppiter
Béne amet! auden participare me quod commentu's?

Sic locus sane difficilis mihi videtur constituendus. Nam etsi concedo verbis *et ego*[3]) saepissime alterius personae incipi orationem, tamen verbis: *et ego inpetrare dico id quod petis* alicui servo libertatem promitti non credo; certe esset iusto obscurius. Potius Palaestrioni oratio continuanda est contra codicis B fidem.

Praeterea offenderunt viri docti in vocibus *ad me* in insequentem versum translatis, quod paulo durius videri posse concedo. Sed praeterquam quod nobis sat saepe occurrerunt exempla, ubi una vox vel vocula initio alterius versus inseritur, quae sensu cum antecedentibus arte cohaeret, unus quidem simillimus locus mihi se offert, qui extat Stich. v. 589 sq.:

illud quidem, ambos ut vocem:
Ét equidem si posset, ego iam vos invitassem domum
Ád me, sed mihi in sinu tunicae nihil est, atque hoc scitis vos.

Iam affirmatio illa *et ego inpetrare dico id quod petis* fortasse habet aliquid sui simile in Cas. v. 270 sq., ubi est:

quid si ego autem ab armigero impetro,
Út[4]) eam illi permittat? atque hoc credo impetrassere.

Ad illud *ad me* initio alterius versus illatum quod attinet[5]), suspicor etiam in fine Aululariae, quem perisse dolemus, tale quid extitisse, ubi versuum distinctione in codicibus pessumdata legitur:

---

1) Nimirum etiam in mediis versibus voces tales distrahere vix decet nec placet Brixius Mil. glor. 2. verba sic distinguens:

Quam sólis radii esse olim, quom sudumst, solent.

2) *egom* libri; m littera adnexa nihil valet; cf. Brixium ad h. l. (in append.)

3) Cf. etiam quae p. 40 sq. de exigua apud comicos vi pronominis personalis exposui.

4) *Ut* om. libri; si hiatus in caesura legitimus statuitur, Camerarii coniectura, qua *me* post *credo* inseruit, non opus est.

5) Poen 761: servom esse audivi meum
Apúd te.

inde petit excusationem, quod oratio excipitur Lyci verbis his:

Apud me? nunquam factum reperies.

832: vel hercle [me][1]) enica, nunquam hinc feres
Á me[2]). (Cf. etiam Atti trag. fragm. v. 425.)

5. Truc. 531: Is te dono adduce hoc tu istas sed istae *(unus* B, *om. rel.)* reginae domi
Suae fuere ambae verum patriam ego excidi manu.
Is te dono.

Sic codices exhibent minutiis omissis; quod ferri nequit. Sed cum solum illud *Is te dono* male repetitum me quidem offendit (nam *adduce* post *adduxi* versus 530 mihi non ita urguendum videtur), eo inclino, ut credam librarii oculos in initio versus aberrasse in v. 533, reliqua autem fere sana esse.

Restituam igitur exempli gratia:

Tíbi servibunt — ádduce hoc tu istás — sed reginaé domi
Suaé fuerunt ámbae, verum pátriam ego excidi manu[3]).

6. Epid. v. 660 sic scribo:

Théspric, exi istác per hortum dómum, adfer[4]) auxiliúm mihi.
Mágnast res.

7. Merc. 239 restituam proxime ab codd:

Dicít capram, quam dederam servandam sibi
Suái[5]) uxoris dotem ambedisse.

Similiter v. 242 *uxoris simiai* restituit Muellerus. Quod autem dicunt genetivum in -ai exeuntem elisionem non ferre, nec causam video, cur fiat, neque omnino semper fit, ut Bacch. 307, ubi scribendum est: Diánai Éphesiae.

8. Amph. 366 scribendum est:

Né tu istuc[6]) hodie malo tuo conpositis mendaciis
Ádvenisti.

9. Asin 585. supra (p. 71) sanare studui.

II. Quae rationes apud Terentium inter versus singulos ac sententias intercedant.

Alter testis veteris Romanorum poesis scaenicae Terentius est. Huius versus singulos cum sententiis exaequandi ratio a Plautina arte duabus potissimum rebus differt:

[1]) *me* a Reizio inserto fortasse non opus est.

[2]) Reliqua desunt.

[3]) Magis placeret altera modo versus parte (qualem B exhibet) servata, tale quid reponere:

Núnquam quoiquam sérviverunt, séd istae reginaé domi
Suaé fuerunt ámbae; verum pátriam ego excidí manu.

[4]) Codd. Pal. *adfer domum.* A deest.

[5]) Codd. *suae.*

[6]) Codd. *istic.*

1. Plauto severior Terentius est in eo, quod epitheton a suo positivo versus fine dirimere non facile audet. Nam epitheton disyllabon nusquam in initio versus solum extat praeter numerale *duo*, quod semel sic positum invenitur Adelph. 465, ubi est:

uxorem duxit: nati filii
Duo: índe ego hunc maiorem adoptavi mihi.

Epitheton autem trisyllabon nunquam in versuum longiorum initio solum invenies, raro in senariis iambicis, velut Phorm. 95:

Modo quándam vidi virginem hic viciniae
Miserám suam matrem lamentari mortuam.

Adelph. 921 sq.:

multo rectiust
Quam illám puerperam huc nunc duci per viam
Aegrótam. # Nihil enim vidi melius, mi pater.

Item alibi non semel. Semper autem observandum est epitheton a suo positivo ita dirimi, ut complures aliae voces sint interpositae. In versibus longioribus tamen epitheton, etiamsi polysyllabon est, nunquam initium facit solum, ita ut post nova sententia ordiatur. Eadem valet lex etiam in pronomine possessivo, quod quam licenter Plautus alterius versus initio inseruerit, compluribus exemplis supra (p. 61 sq.) collatis comprobatum est.

Haec autem pertinent ad epitheton, quod in altero versu positivum sequitur. Contra ut priori versui epitheton, alteri substantivum tribuatur, interdum videmus fieri[1]), velut Eun. 108:

ibi tum matri parvolam
Puéllam dono quidam mercator dedit.

In ceteris rebus omnibus eandem licentiam Terentius sibi postulat quam Plautus. Itaque non opus est exemplis allatis. Moneo modo quasi praeteriens ne verbum quidem substantivum in alterius versus initio collocare postque distinguere Terentium dubitasse; cuius rei exempla quae occurrunt liceat subicere, cum fortasse non desit, qui in uno alterove offendat. Extat autem:

A. in versibus longioribus:

Heaut. 998. Hec. 460. 621 (v. 620. est sept. troch. v. 621 dim. iamb.) Adelph. 332.

B. in senariis iambicis:

Eun. 823. 873. Heaut. 294. Hec. 99. Adelph. 83. 383. 496.

De Plauto cf. p. 53 sq.

2. Multo liberioribus legibus Terentius quam Plautus utitur in coniunctione in fine versus posita. Nam non solum ut apud Plautum

[1]) Epitheton tamen disyllabon sic positum vix invenies.

coniunctio disyllaba in fine versus stare potest, ut *quia* Eun. 121. Adelph. 523 (versus est ille senarius, hic octonarius iambicus, quem sequitur dimeter iambicus), *uti* Heaut. 304. Hec. 78 (versus sunt senarii) et Hec. 387 (versus est sept. troch.), sed etiam coniunctionem monosyllabam in fine versus ponere poeta non dubitavit. Extat enim coniunctio *et* in fine versus his locis:

A. in versibus in iambum exeuntibus.

Andr. 51: Nam is póstquam excessit ex ephebis, Sosia, et
Liberius [1]) vivendi fuit potestas (nam antea...

560: spero consuetudine et
Coniúgio liberali devinctum, Chremes,
Dein fácile ex illis sese emersurum malis.

Eun. 926: Nam ut míttam, quod ei amorem difficillimum et
Caríssimum, a meretrice avara virginem
Quam amábat, eam confeci sine molestia.

Heaut. 521: mulier commoda et
Facéta haec meretrix.

Phorm. 57: nescis quo in metu et
Quanto ín periclo simus.

B. in versibus in trochaeum exeuntibus.

Eun. 217: censen posse me offirmare et
Pérpeti, ne redeam interea?

260: Ille úbi miser famelicus videt mihi esse tantum honorem et [2])
Tam fácile victum quaerere.

Coniunctio *aut* in fine versus extat in his exemplis.

Andr. 256: Óbstipui: censen me verbum potuisse ullum proloqui aut [3])
Úllam causam, ineptam saltem falsam iniquam? obmutui.

Heaut. 595: Quíd tu? ecquid de illo quod dudum tecum egi egisti, Syre, aut
Répperisti, tibi quod placeat an non?

Eum. 349: nostin quae sit? dic mihi, aut [4])
Vidístin?

---

[1]) Versus si non ἄμετρος, certe duriusculus est, sive dimetiris *Liberius...* cum Umpfenbachio sive: *Libérius vivendí fuit pótestas (nam ántea...)* Per me licet proscribas cum C. F. Hermanno: *Sosia..... potestas*; exempla alia satis multa suppetunt.

[2]) *et* in initio insequ. v. habet A.

[3]) *aut* in alterius v. initio habet P.

[4]) *aut* insequ. v. addit A.

Adelph. 38: vah quemquamne hominem in animo instituere aut
Paráre quod sit carius quam ipse est sibi!

Coniunctio *ut* in versus fine extat in his exemplis:

A. in versibus in iambum exeuntibus.

Andr. 226: Sed Mýsis ab ea egreditur. at ego hinc me ad forum, ut
Convéniam Pamphilum, ne de hac re pater inprudentem opprimat.

B. in versibus in trochaeum exeuntibus.

Phorm. 827: sed ubi nam Getam invenire possim, ut [1])
Rogém, quod tempus conveniundi patris me capere iubeat.

Addo praepositionem *in* his locis versus finem efficientem:

Andr. 629 [2]): Ídnest verum? ímmo id est génus hominum péssumum, in [3])
Dénegandó modo quís pudor paúlum adest.

Eun. 631: Aliám rem ex alia cogitare et ea omnia in
Peiórem partem.

859: vix me contineo, quin involem in [4])
Capíllum: monstrum, etiam ultro derísum advenit.

Haec, quod sciam, huiusmodi exempla offerunt fabulae, ubi particula vel praepositio in omnibus codicibus traditur. Ex viris doctis ea plerumque servavit, ut omnia fere servat, Umpfenbachius ac non semel Bentleius; Fleckeisenus contra et Dziatzko, ut taceam reliquos, ad unum omnia sustulerunt. Ille non semel coniunctione in insequentem versum transposita totum versum transformavit, quod certe iusto audacius videtur, hic plerumque satishabuit coniunctionem prorsus omittere. Et concedendum est interdum interpolatoris opera

---

1) *ut* proximo v. addunt AFP.

2) Versus est tetram. cret.; soluta arsis una cum duplici thesi hic vix potest magis offendere quam in iambis et trochaeis, ubi saepius hoc invenitur:

Amph. 442: Quem ád modum ego sum (saepe in speculum inspexi) nimis similist mei.

Truc. 363: Velim si fieri possit. # Cédo soleas mihi.

cf. Klotzium (altröm. Metrik), qui praeter hos satis multos alios locos collegit p. 349 sq. — Ceterum non possim, quin in transitu obloquar Spengelio, qui ad Andr. 625, quem versum apparet dactylicum esse, adnotat *hocine* semper brevi prima syllaba uti; cf. Asin. 128.

3) *in* insequenti v. inserit P.

4) *in* in fine prioris AP; reliqui in alt. v.

coniunctiones falso inductas esse. Hoc exposuit et ex parte mihi quoque comprobavit Conradtius in Herm. vol. X. p. 108. In eis autem exemplis, quae ego supra posui, coniunctionem vel praepositionem omnium codicum fide munitam atque ipsa sententia postulatam servandam esse censeo. At versus coniunctione servata duriores existunt, quam quos Terentio inculcentur. Sic sane videtur; sed animadvertas velim, omnibus illis exemplis eandem esse rationem: semper ante voculam illam, quae est in fine, elisio[1]) fit: semper igitur versus per se plenus atque integer est, illa autem coniunctio vel praepositio, quae si sensum respicimus, ad insequentem versum pertinet, quasi inter versus stat. Hoc non casui, non interpolatori tribuendum est. Fac igitur versus in hunc modum esse recitatos:

Uxórem demus. spero consuetudine et coniúgio . . .

Haec me non hariolari ex talibus exemplis videtur apparere:

Adelph. 217: Metuísti, si nunc de tuo iure concessisses paululum atque Adulêscenti esses . . .

375: Est hércle inepta, ne dicam dolo atque[2])
Absúrda.

465: Quid istúc est? # Nostrum amicum noras Simulum atque[3])
Aequálem?

De hoc uno exemplo paululum dubito. Sed sententia certe bene fert illud *atque* (cf. Eun. 327. Afran. frgm. v. 256) atque in codd. A G tam facile ante sequens *aequalem* potest excidisse quam in ceteris falso additum esse.

Legi illi, qua postulatur, ut semper ante talem voculam sensu ad id quod sequitur, versu ad id quod antecedit pertinentem elisio fiat, modo unus locus repugnat: Heaut. 581, ubi est:

credo: neque id iniuria: quin[4])
Míhi molestumst.

Sic edidit Umpfenbachius, ita ut uterque versus sit octon. troch. At rectius hoc loco statuitur septenarius troch., quem excipit octon. iamb. hypercatal.: neque id iniuria:
Quin míhi molestumst.

Cf. Klotzium (l. s. s. p. 413 sq.) et imprimis Kiesslingii Analecta Plautina, qui rem bene explicavit.

Similis atque his voculis videtur ratio fuisse interiectionibus non semel apud Plautum, saepissime apud Terentium versus finem efficien-

---

1) In hoc video iam Conradtium institisse.

2) *atque* alteri versui addit A.

3) *atque* in A G deest; in A alterius versus initio praefixit corr. rec.

4) *quin* in A F P sequentem versum incipit.

tibus. Nam etiam hae si extant, semper ante interiectionem eliditur Nimirum id intererat, ut interiectio sic inter versus posita magnam vocis vim acciperet, coniunctio autem vel praepositio prorsus nullam, immo devoraretur.

Ac de Terentio quidem hactenus. Videmus eum in epitheto a suo positivo per versus finem dirempto paulo severiores, in coniunctione vel praepositione in exitu versus collocata multo liberiores leges sequi quam Plautum. Proximum est, ut illos veterum scaenicorum, quorum modo fragmenta ad nos pervenerunt, perlustremus.

III. De scaenicorum Romanorum veterum fragmentis.

Ad scaenicorum Romanorum fragmenta quaedam constituenda aggredienti mihi primum videtur apparere tragicos et comicos poetas in eis versibus, qui in utroque genere poesis adhibentur, simillimam ac fere eandem artem metricam sequi. Quod inter Romanos non ita mirabile videtur, cum eosdem sciamus poetas utrique poesis generi operam dedisse. Itaque nihil, puto, impedit, quominus eas leges, quas apud comicos vidimus valere, in tragicos poetas transferamus.

Nec magis temporum varietas, quamvis in una re Terentium invenerimus licentiorem, ita multum dubitationis debet afferre. Nam et veterum scaenicorum qui sunt paulo inferioris aetatis, ut Terentius, non adeo obliti sunt maiorum artem, ut eorum leges prorsus spernerent, et omnium antiquissimus ille Livius Andronicus, quem in Saturniis versibus deprehendimus severissimum, alius fuit in scaenica poesi. Licet enim certo exemplo comprobare eum nullo modo dubitavisse unam sententiam inter versus complures distribuere. Nam eius Aegisth. frgm. I (sec. Ribbeckium [2]) luce clarius est sic recte cónstitutum esse:

nam ut Pergama
Accénsa et praeda per participes aequiter
Partíta est.

Subicio senariorum et septenariorum fragmenta quaedam, quae apud Ribbeckium [2] mihi videntur minus recte discripta esse, sive opera virorum doctorum, inter quos praesertim Luc. Muellerus (et in Enni et in Noni Marcelli editione) non nihil in hac re profecit, melior discriptio reperta est sive ipse aliquid potui proferre. Hic atque illic commemorabo etiam eos locos, ubi aliorum conamentis Ribbeckianam discriptionem praestare iudico. Qua in re inde opinor proficiscendum esse, ut non solum talem versuum discribendi rationem reiciamus, quae omnino nullis certis exemplis nitatur, sed etiam eam, quantum potest, fugiamus, quae sit rara poetisque minus accepta. Tracto autem:

A. tragicorum fragmenta.

Naevi 29: [alias] alis
Sublíme in altos [1]) saltus inlicite [invios],
Ubi bípedes volucres lino linquant lumina.

Sic Ribbeckius edidit, quam versuum discriptionem veram esse vix crediderim. Nec magis persuasit mihi Buechelerus (coroll. p. XII.). Et sensui et numeris satisfacit, quod Luc. Muellerus ap. Non. exhibet:

Alís in alios saltus inlicite [ilico],
Ubi bípedes volucres lino linquont lumina.

Enni

2. per ego deum sublimas subices
Úmidas, unde oritur imber sonitu saevo et spiritu.

Sic Ribbeckius recte scripsit Lachmanno auctore. Nam qui duos senarios statuit, et sententiam perdit et versum. Primum enim apparet verba illa quidem *sublimas subices* arte inter se cohaerere, *umidas* autem magis solute addi, cuius rei gratia haud male Luc. Muellerus post *subices* distinxit. Tum splendida allitteratio verborum utique servanda est.

7. nam consiliis obvarant, quibus
Concédit Hector [2]).

Sic Ribbeckius falso scripsit; nec meliora prompsit idem coroll. p. XVI: nam obiectum *quibus* priori versui adnexum non ferendum est. Rectius Luc. Muellerus:

Nam cónsilieis [Danai] óbvarant
Quibu' iám concediti' córde.

10. summam tu tibi
Pró mala vita famam extolles, pro bona partam gloriam.

Sic Ribbeckius coniectura facili et apta. Servata librorum scriptura discriptione usus est pessima Geppertus:

súmmam tu tibi pro mala
Víta famam extolles et pro bona paratam gloriam.

98. A [3]) fíliis propter te obiecta sum innocens
Nereí.

Huius loci, qualem constituit Buechelerus (coniect. lat. in ind. schol. Gryph. sem. hib. 1868/69), et discriptio et praesertim sententia displicet. Puto enim desiderari dativum, qui respondeat verbo *obiecta sum*. Itaque praepositionem *a* sane facillima coniectura a

---

[1]) *sublimen alios* codd., ceterum cf. apparatus criticos apud Ribbeckium[2] et apud Luc. Muellerum; ego praesertim ubi alterum horum virorum doctorum sequor, variam lectionem non semper commemorabo.

[2]) *tam concedit hic ordo* codd.

[3]) *a* om. codd.

Buechelero illatam reiciam. Una modo voce transposita aut legamus cum hiatu in diaeresi:

Fíliis propter te obiecta ínnocens sum Nérei.

aut formam *ted* inducamus. Plura transposuit Luc. Muellerus in Enni edit. sic scribens:

Ínnocens propter te obiecta filiis sum Nerei.

102. circum sese urvat ad pedes, terra occulit
Cáput.

Sic edidit Ribbeckius falsa, ut puto, discriptione usus. Quid fere sit reponendum, cum admodum sit dubium, locum in medio relinquo.

197. Plebés in hoc regi antistat loco: licet
Lacrumáre plebi, regi honeste non licet.

Hanc codicum scripturam in textu servavit Ribbeckius. Sed diiambus in fine ipsi in corollario adeo displicuit, ut scribi iuberet:

Plebés in hoc regi antistat: large licet
Lacrimare plebi, regi honeste non licet.

Sed vide quanta insit vis verbo *licet* in fine prioris versus soli exhibito, cui optime illud alterum *licet* in alterius fine respondet. Non par, sed simile exemplum memini extare Plaut. Capt. 764:

Sequere hác: redducam te ubi fuisti. neminis
Miserére certumst, quia mei miseret neminem.

Itaque versus constituendi sunt in hunc modum:

Plebés hoc regi antistat in luctu [1]): licet
Lacrumáre plebi, regi honeste non licet.

199: Astrologorum signa in caelo quaesit, observat Iovis,
Cúm capra aut nepa aut exoritur momen aliquod beluae.

Sic, puto, prorsus necesse est distinguere, non, ut editores solent, ante *Iovis*. Utrum cum *signa* coniungendum sit *Iovis*, qua in re mirabilis esset duplex genetivus, an cum *caelo*, paululum dubito; hoc tamen malim.

245. mihi
Auscúlta, nate: pueros iube cremarier.

Talis Ribbeckiana discriptio versuum, nisi voculam aliquam (e. g. *et, iam, immo* etc.) ante *mihi* excidisse statuendum est, ferri nequit. Cautius igitur cum Vossio scribas:

Mi auscúlta, nate: pueros iube cremarier.

350. Sibi únde populi et reges consilium expetunt,
Summárum rerum incerti, quos ego ope mea
Ex incertis certos compotesque consili
Dimítto, ut ne res temere tractent turbidas.

1) *luctu* Luc. Muellerus, *loco* codd.

Locus non facilis est ad constituendum. Nam *ex* antecedenti versui adnectere, quod voluit Vahlenus (Sitzungsber. d. Berl. Akad. 1888, III. p. 44), vereor ne inauditum ac non ferendum videatur. Qui autem *ĕx ĭncērt* pro anapaesto audet venditare, videat cui persuadeat. Mihi sic videtur ratiocinandum esse: puto versus plane corrumpi, si tale quid facimus extare:

consilique compotes
Ex incértis certos...

Equidem talia, ni aures mentiuntur, a quovis poeta aliena esse persuasum habeo. Si autem aliquid valet antecedentis versus exitus, meo iudicio manifesto apparet in talibus versibus:

quos ego ope mea
Ex incértis certos...

synaloephe quadam voces *mea* et *ex* coalescere. Quod si constituimus, nugas agit Klotzius (Röm. Metrik, p. 190), qui religiosissime quattuor huius loci medelas enumerat:

I. *ĕx ĭncértis,* quod negat posse ferri.
II. *'x incertis*, quod et ipsum parum placet.
III. *ope mea ex* | *Incértis* (sec. Vahlenum), quod laudat.
IV. *Höchstens könnte man sich mit der Annahme einer längeren (!) continuatio numeri* (cum unusquisque versu bona utatur caesura) *behelfen, aber auch diese ist für unsere Stelle unwahrscheinlich.*

Quid, quaeso, interest inter *'x incertis* et *ope mea ex Incertis* et continuationem numeri, nisi maxime ratio pingendi? Ad rem quod attinet in eo acquiesco, quod supra (p. 79) exposui, cum de Terentio verba facerem: duo illi versus continui pronuntiabantur, ita ut illud *ex* inter eos fere devoraretur. Animadvertendum est hoc ut a Terentio, ita ab Ennio quoque admissum esse, cuius rei apud Plautum nullum dum extat exemplum.

Pacuvi 142: quid? quod iam et mehe [1])
Pigét paternum nomen, maternum pudet
Profári.

In his non tam insolita forma *mehe* movet dubitationem quam *mehe Piget* inter versus duos distributum. Scribendum est potius, ut viri docti iandudum viderunt:

quid? quod iam (ei mihi!)
Piget . . .

De v. 277 sq. vide, quae infra exposita sunt (p. 85).

315: Post quám defessus perrogitando[d] advenas
[Fuít] de gnatis, neque quenquam invenit scium

[1]) *et mihi* codd.

Praeplacet Buecheleri et facilis et elegans emendatio:

postquam defessus[est]

Perrógitando advenas de gnatis neque quenquam invenit scium...

Acci 45: sic

Multi, ánimus quorum atroci vinctus malitiast,

Compósita dicta e pectore evolvunt suo,

Haec Ribbeckiana versuum discriptio prorsus non ferenda est. Vossius illud *sic* delevit eumque secuti sunt cum alii tum Luc. Muellerus. Sed fortasse illud *sic* non tam interpolatum quam corruptum est. Equidem suspicor illi *sic multi* subesse *sicine multi* restituoque collato Plaut. Cist. v. 415. versus in hunc modum:

sicine

Multi, ánimus quorum atroci vinctus malitiast,

Compósita dicta e pectore evolvont suo,

Quae cúm componas dicta factis, discrepant?

425. Oéneum aliquis cette in conspectum, aut nos, ubi[ubi] est, ducite

Ád eum.

Sic edidit Ribbeckius proxime a codicibus. Atque huiusmodi versuum discriptio ne apud Plautum quidem debet offendere (cf. quae exposui pag. 74). Possis nimirum etiam Luc. Muellerum sequi, qui eadem verba in unum octon. troch. coegit.

De vv. 437 et 464 vide quae infra proferam (p. insequ.).

542: cui postestas [si] detur, tua

Cupiénter malis membra discerpat suis.

Sic Ribbeckius; sed dubium non est, quin *tua* non ad verba sequentia referendum sit. Receperim potius, quod Luc. Muellerus dedit in adnotatione:

cui potestas si detur tuei, Cupiénter . . .

Santrae 3: ex templo excita [1]) evadit pia [2])

Genetríx et omnis vocis expergit sono.

Hac scriptura, quam Ribbeckius ipse dubitanter profert, magis placet Muelleri emendatio, qui edidit:

ex templo excita evadit quie

Genetríx et omnis vocis expergit sono.

Nimirum ne haec quoque coniectura aliquid habet certi, cum possis statuere octonarios iambicos fuisse:

1) *excit* codd.

2) *qua* codd.

extemplo excita
Evádit † qua genetrix...

Verum haec missa facio; magis interest quaerere, num *pia* | *Genetrix,* si traditum esset versusque suaderet, liceret dirimere. Apud Plautum sane inauditum esset, ut supra exposuimus; nec minus apud Terentium. At apud Pacuvium v. 277 sq. invenimus:

Parúmst, quod te aetas male habet, ni etiam hunc [1]) ad malam
Aetátem adiungas cruciatum reticentia?

Hic locus aliam discriptionem vix admittit; verba autem *malam aetatem* sunt fere certissima, quippe quae Nonius habeat in lemmate. Illud *hunc* tamen parum feliciter intulit Ribbeckius; nec magis persuasit Luc. Muellerus *heus* reponens. Ego malim:

Parúmst, quod te aetas male habet, ni etiam hanc ad malam
Aetátem adiungas cruciatum reticentiae? [2])

Illo enim *hanc* recepto simul *malam* a suo substantivo *aetatem* diremptum minus offendit.

Iam Acci v. 437 sq. sic legitur:

Cónstitit cognovit sensit, conlocat sese in locum
Célsum: hinc manibus rapere raudus saxeum grande et grave.

Versus rectissime discriptos esse apparet. Eiusdem v. 464 extat:

quid si ex Graecia
Omnei íllius par nemo reperiri potest?

ubi septenarium vix praeferam talem:

Quíd si ex Graecia ómnei illius par némo reperirí potest?

nam *omnis* iam apud Plautum a suo positivo versus fine disiungitur (cf. p. 61). Nec magis offendit Acci praetext. frgm. v. 36:

nam quod dexterum
Cépit cursum ab laeva signum praepotens,

ubi *dexterum* pro *ad dexteram* codicum suadente versu repositum est. Exempla igitur docent apud hos poetas hic atque illic talia admissa esse.

Ac de tragicorum quidem fragmentis hactenus; nunc si placet comicorum reliquias tractemus.

B. Comicorum fragmenta.

Naevi

5: Áge ne tibi med advorsari dicas, hunc unum diem
Dé meo securos sinam ego illos esse. # tax pax. # postea
Cúrrenteis ego illos vendam, nisi tu . . viceris.

Huius loci non discriptio, sed sententia parum placet. In eis autem, quae Buechelerus proposuit, sententiam probo; quod tamen

1) *hic* codd.

2) De *reticentiae* iam Ribb. cogitavit.

age ne tibi | *Med ádvorsari* etc. scribi iubet senarios constituens, non est inauditum, sed equidem malim pronomina personalia tam arte collocata eodem versu comprehendi. Scripserim igitur duce Bergkio:

Áge ne tibi med advorsari dicas, hunc unum diem
Dé meo sinam equos ego illos esse. # tax pax. # postea
Cúrrenteis ego illos vendam, nisi tu pretio viceris.

Quod Bergkius proponit praeterea: *De meo equos sinam ego illos esse* ad codicum fidem propius accedit; quomodo autem numeris satisfaciat, nisi forte *meod* scribitur, non video.

19: Ut illúm di perdant [1], qui primam [2] holitor protulit
Caepam [3]!

Talem verba inter versus distribuendi rationem quamvis aliquotiens inveniatur, coniectura inducere vix ausim. Videtur fuisse:

Út illum di ⏑ ⏗ qui primam hólitor caepam prótulit.

cum hiatu in diaeresi. Post *di* verbum tritissimum *perdant* quomodo interierit, non facile intellegitur. Cogitavi de *Ut illum differam* (= κακῶς λέγοιμ' ἄν, carpserim), quod vestigiis cod. Bern. pr. m. (*di fer*..) respondeat. Birtio placuit *primum* deleto senarium constituere.

27: Qui [4]) décumas partes? quantum mi alieni fuit
Pollúxi [5]) tibi iam publicando epulo Herculis
Decumás.

Decumas novo versu insertum, praesertim cum antecedat *decumas partes*, parum placet. Eo lubentius sequor Birtium, qui deleto vocabulo postremo scribi iussit:

Quid? décumas partes, quantum mi alieni fuit,
Pollúxi tibi iam publicando epulo Herculis.

Ubi intellegas dec. part. eius, quantum mi — alieni (ἀπροσδοκ. pro *argenti*) fuit.

36. nolo ego
Hanc ádeo efflictim amare: diu vivat volo,
Ut míhi prodesse possit.

Animadvertas velim huius loci circumscriptionem ideo non offendere, quod post *nolo ego* sequitur acc. c. inf., cuius subiectum sit *hanc.* Nam si constructio verborum esset talis, ut *ego* esset subiectum, *hanc* obiectum eiusdem verbi *amare,* ni fallor, poeta vix distinxisset *ego* | *Hanc.*

---

[1]) *di fer*.. vel *dii ferant* vel *differant* codd.
[2]) *primum* codd.
[3]) *caepam protulit* codd.
[4]) *qui* codd. plerique; pauci *quid. mi* om codd.
[5]) *polluxit* codd. pro *iam* habent *a* codd.

39: Ultró meretur, quam obrem ametur: ita dapsiliter suos amicos
Alít.

Versus tales possunt esse veri. Malim tamen, cum ne octon. quidem iamb. hypercatal. ita frequens sit, cum Keilio octon. troch.:

ultró meretur, quamóbrem ametur:
Íta dapsiliter suós amicos álit.

Frusta autem est Ribbeckius, qui adnotat: *quos* (sc. numeros trochaicos) *etiam tales instituere licebat:*

ultró meretur
Quamóbrem ametur...

Nam homoeoteleuta *merétur: amétur* cave versus fine dirimas.

88: Quá pro confidentia ausus verbum cum eo fuerim
Fácere rusus.

Sic Ribbeckius; sed verbis *qua pro confidentia* apte versum concludi mihi persuasit Keilius reliqua paulo licentius edens. Reponamus igitur:

qua pro confidentia
Aúsus verbum cum eo fuerim facere rusus.

Caecili Stati:

9: nam ego
Duábus vigiliis transactis duco desubito domum.

Sic Ribbeckius edidit discriptione versuum prorsus inaudita usus. Praeterea sententia obiecto caret; ac recepto *me*, quod inter *nam* et *ego* inseri vult quidam apud Ribbeckium, versus etiam peiores fiunt. Iam illud *ducor*, quod vir doctus in Stephani exemplari proposuit, propterea respuo, quod vix dubito, quin verba sint adulescentis. Scripserim:

nam ego duabus vigiliis
Transáctis [illam] duco desubito domum.

Statuo igitur ablativi absoluti constructionem ita inter duos versus distribui, ut nomen priore versu, altero participium extet. Quod neque per se nimis offendit et certo exemplo tragico quidem, non comico confirmari potest. Nam Acci trag. frgm. v. 581 sq. scriptum videmus:

Sol quí micantem candido curru atque equis
Flammám citatis fervido ardore explicas . . .

ubi discriptio est certa. Fortasse tamen etiam magis placebunt, quae mihi commendat Birtius:

Eam ego duábus vigiliis transactis duco desubito domum.

64: habes
Milétidam: ego illam huic despondebo, et gnato[1]) saltum obsipiam.

---

[1]) Pro *gnato* codd. habent *ex nato* (*ex tanto* Monac.).

Sic Ribbeckius; quod falsum esse persuasum habeo. Equidem scripserim:

habes Miletidam:

Égo illam huic despondébo et nato sáltum obsipiam –́ ⏑ –

Suspicor illud *ex* codd. ortum esse e male repetito *et*; praeterea constituendum est insequentem vocem a vocali littera incepisse, e. q. lenonem assensum esse verbis: *Íta decet.*

122: credidi silicernium

Eius me ésse esurum.

Melius cum Buechelero spt. troch. statuas:

Credidi silicernium eius me esse esurum [propediem].

142: Inter virorum doctorum conamina, quae extant sat multa, praeplacet, quod Ribbeckius in textum recepit. In transitu tamen facere non possum, quin eidem viro doctissimo obloquar, qui in coroll. p. XXVIII dicit: *Ceterum anapaestos qui flagitat, hosce sibi habeto*:

Is démum miser est, qui aerumnam suam nesciat occultare

Foris. íta mi uxor forma et factis facit, si taceam, tamen indicium.

Ubi ut numeri sunt elegantes, ita illud *foris* in alterum versum translatum sane inauditum est.

Iuventi

2: gaudia

Sua si ómnes homines conferant unum in locum,

Tamén mea exsuperet laetitia.

Vix dubium est, quin C. F. W. Muelleri trochaei praeferendi sint (cf. Plaut. Prosod. p. 317):

Gaúdia sua si omnes homines . . .

Sexti Turpili

92: Habés potestatem # Ubi potestatem? # Senis

Pretió contendas ut redempto Faedria

Liceát redire antiquam in consuetudinem.

Tales versus Ribbeckianos, ne pensitata quidem huius loci sententia, tamen non ferendos esse iudico. Quid verum fuerit, cum sententia non sit perspicua, difficilius est diiudicatu. Luc. Muellerus sic edidit:

Habés potestatem, ubi petes tantum, senis.

Pretiúm contendas, ut redempto Phaedriae

Liceát redire antiquam in consuetudinem.

106: ne me attigas, atque aufer

Manum. # Heía quam feroculast!

Sic Ribbeckius locum constituit, at sane falso; verba enim *aufer manum* tam arte puto coniungi, ut uno vocis ictu pronuntientur. Mihi vero tota elocutio usque ad vocem *manum* adeo in se nexa et

una esse videtur, ut eodem versu debeat comprehendi. Scripserim autem sept. troch. dimetiens:

ne me attige [1]) atque aufer manum.
Heía quam feroculast.

136. Ex facili et apta coniectura Grautoffii scribendum est:

Consílium hoc cepi: litteras misi ad senem
Nostrám processe nobis ex sententia
Mercáturam.

ubi Ribbeckius codices secutus *nostrum* edidit, quod minus placet.

177: gemo meas fortunas, mater. # Hem!
Qua caúsa huc opere maxumo contenditur?

Hi versus Ribbeckiani nullo modo ferendi sunt. Nam ante interiectionem monosyllabam, quam centiens in fine versus extare notissimum est, semper elidi vocalem iam supra (p. 80 in initio) de Terentio agens commemoravi. Quomodo autem locus restituendus sit, dubium videtur, necdum mihi persuasum est scripturam traditam esse veram. Aliquatenus probo septenarios trochaicos, quales circumscripsit Luc. Muellerus:

geme [2]) fortunas meas
Máter. # Hem! qua causa huc opere maximo contenditur.

205: Non ést mediocris res neque [est] vulgaria
Fallácia haec.

Sic bene Ribbeckius; sc. subiectum sententiae, ut monet Birtius, est *fallacia haec*, non *haec*, ut toto priore versu praedicatum efficiatur.

Titini 8: ita spurcus
Animátur [ira] in proelium: veles eques recipit se
× ×́ × × × × × × × neque ferit quemquam hostem.

Haec placuerunt Ribbeckio; qua in re praeter lacunam statutam numeri prioris versus sane pessimi displicent. Ego eodem deveni quo Luc. Muellerus, ut locum ἄμετρον esse confitear.

24: quae intra [3]) decem
Annós nequisti togulam unam [4]) detexere.

Haec Ribbeckii discriptio num vera sit, vehementer dubito. Potest verum vidisse Buechelerus, qui talia prompsit:

Quae intrá decem annos nesciisti unam togam detexere.

Mihi fortasse alia via ingredienda videtur. Conicio enim olim non *intra decem annos*, sed *intra annos decem* fuisse, quia sic facilius apparet, quomodo illud *intra* in *inter* potuerit corrumpi. Quod si

1) *attige* scripsi; *attiga* codd.
2) Pro *geme* Merceri Muellerus inepte *heu* scripsit.
3) *inter* codd.
4) *unam togam* codd.

statuimus, septenarium trochaicum licet dimetiri talem, quamvis numeros non esse amoenos concedam:

Quae íntra annos decem nequisti [1]) unam togam detexere.

41 [1]: Tu fácis inique, qui venire pauciens
Solés in urbem.

Hos versus Ribbeckianos posse stare facile apparet. Sed cum sit traditum: *tu sac iniqui in urbem paucies venire soles,* primo quasi aspectu elucet versum aliquem concludi voce *venire.* Scribamus igitur quam proxime a codicibus ex parte duce ipso Ribbeckio (in adnot.):

⏑ ⏑́ ⏑ tu sat iníque in urbem paúcies veníre
Solés.

Verbum autem in alterius versus initio persaepe solum sequi supra (cap. VIII,2 = pag. 49 sqq.) sat multis exemplis Plautinis comprobavimus.

93: Dic ístud, quaeso: quor te avortisti? mei fastidis,
Meaé deliciae?

Haec Ribbeckii ratio versus constituendi, quamvis prior solita caesura careat, non debet offendere. Quos autem Bergkius annal. philol. vol. 101 p. 826 posuit senarios:

Dic ístud, quaeso, quo te avortisti? mei
Fastídis, meae deliciae?

falsos esse apparet; obiectum enim, si in prioris versus exitu separatum extat, certe cretici pedis spatium debere amplecti, supra (p. 45) demonstravi. Eo magis miror Luc. quoque Muellero numeros Bergkianos placuisse. Equidem scribo:

dic istud, quaeso:
Quor téd avortisti? mei fastidis, meae deliciae?

Ad formam *ted*, quam induxi, defendendam moneo etiam apud Afranium v. 405. a Ribbeckio *med* non sine probabilitatis specie restitutum esse.

Afrani 149: si ille haec nunc sentit, facere illi satis
Vis, quánta illius mors sit maceries tibi?

Sic versus e codicum fide Ribbeckius edidit; et iure fecit. Quanta enim cum licentia poetae verbum in initio versus inserere ament, iam saepius dixi (cf. imprimis p. 50). Repudiandus est igitur Luc. Muellerus, qui versus misere interpolatos tales exhibet:

Si in haéce nunc consentit, facere vis satis?
Quanta íllius mors fiet maceries tibi!

302: tui
Verétur, me ad te misit oratum pater.

[1]) Fort. *nequiisti* praeplacet.

Talis est species versuum Ribbeckianorum. Qui quamobrem sint reiciendi, modo (in Titin. 93) dixi. Una qualibet vocula addita locus sanatur; scribas verbi gratia cum Buechelero: Éa tui veretur...

398: ⨯́ id est intus actum: periit opera nimirum meae
Éx animo fidelitatis.

Sic Ribbeckius; atque in universum pronomen possessivum, praecipue formas *meus tuus suus*, satis facile intercedente versus fine a suo positivo dirimi supra (p. 61 sqq.) demonstravi. Hoc tamen loco pronomine possessivo *meae* versum concludere ideo minus placet, quod voces *meae* et *fidelitatis* amplectuntur illud *ex animo*. Sequar potius Buechelerum, qui sic scripsit:

ĭd ĕst īntus áctum [1]:
Perit ópera nimirúm meae ex animó fidelitátis.

Pomponi 14: néque enim ego
Sum Mémmi neque Cassí neque Munati Ébriae.

Sic locum desperatum edidit Ribbeckius malis numeris malaque usus discriptione. Magis ferrem cum Keilio septenarium trochaicum:

Néque enim egó sum Mémmi neque Cassí neque Munati Ébriae.

103: Núnc quando voluisti facere, fac voluptati sies
Íbus.

Haec Ribbeckii versuum discriptio cum parum placeat, scripserim:

Núnc quando voluisti facere, fac voluptati ibus sies [2].

Decimi Laberi

47: Utrum tu húnc gruem Balearicum an hominem putas
Esse?

Sic locus cum Ribbeckio [3] scribendus est, quamvis non tulerint Bothius, Buechelerus, Luc. Muellerus. Ne apud Plautum quidem talia sollicitanda esse supra (p. 53 sq.) exposui. E scaenicorum fragmentis huc pertinent Acci 119. 262. Afran. 360, qui tamen loci, cum minus offendant, ab editoribus recte constituti sunt.

Haec fere de scaenicorum veterum fragmentis habui quae dicerem.

IV. De Phaedri sententias singulas cum versibus exaequandi ratione.

Phaedrus [4] qua ratione singulas sententias inter versus distribuerit inquirenti mihi primum videtur apparere eum esse hac in re severissimum: amat una cum metro sententiam concludere. Non

---

1) Malim totum locum sept. iamb. dimetiri; Buechelerus clausulam bacch. statuit.

2) *sies ibus* codd., quod transposui.

3) Recepto eo, quod in adnot. Ribbeckius suspicatur.

4) Usus sum Luc. Muelleri editione, quae prodiit Lipsiae a. MDCCCLXXVII.

desunt fabulae, in quibus in fine uniuscuiusque versus sententia finiatur, ut I, prol. (7 v.). 10 (10 v.). 25 (8 v.). II, epil. (19 v.). III, 9 (7 v.). 13 (17 v.). 15 (20 v.). 18 (15 v.). V, 2 (15 v.). Sed quod multo dignius est quod commemoretur, si qua sententia extra versus spatium prodit, tamen semper Phaedrus diligentissime cavit, ne quae arte cohaereant, per versus finem dirimantur. Potest et subiectum et obiectum et praedicatum aut in superiore versu antecedere aut in proximo versu sequi suam sententiam, sed semper aut ipsum subi. vel obi. vel praed. maius spatium obtinet aut aliquid additur quo fulciatur. Conferatur e. g. I, 2:

v. 7: sed quoniam gravest
Omne ínsuetis onus.
v. 13: atque illis dedit
Parvúm tigillum
v. 14: missum quod subito vadis
Motú sonoque terruit pavidum genus.
v. 24: qui dente aspero
Corrípere coepit singulas.
v. 25: frustra necem
Fugitánt inertes.

Etiam epitheton a suo positivo interdum per versus finem abscissum invenies, at ea modo condicione, ut nunquam epitheton vel positivum solum in alterum versum relegetur, sed semper aliquid sit additum quo fulciatur. Fit autem apud Phaedrum fere septies, ut I, 15:

v. 7: quaeso, num binas mihi
Clitéllas inpositurum victorem putas?

item I, 19:

v. 8: Hoc quóque consumpto flagitari validius
Cubíle coepit.

Cf. I, 26, 4. II, 1, 4. III, prol. 62. IV, 21, 11. 25, 23.

Hoc postremo loco, ubi est:

Fabélla talis hominum discernit notas
Eórum, qui se falsis ornant laudibus.

apparet pronomen demonstrativum *eorum* arte cum sententia relativa coalescere.

Licet igitur Phaedri sententias cum versibus exaequandi rationem his legibus astringere:

I. Plerumque in fine versus sententia concluditur.

II. Si sententia non una cum versu finitur, usque ad caesuram semiquinariam solet produci.

III. Nunquam ab ultimo versus pede nova sententia incipit, sed certe ab ultimo cretico: idque rarissime; fit enim in omnibus fabulis (sc. appendice, ut semper, addita) modo ter: IV, 2, 5:

Non sémper ea sunt, quae videntur; decipit
Frons príma multos.

IV, 5, 10:

Ni dáta possideant aut fruantur; tum simul
Habére res desierint.

App. 28, 10:

Hoc sí praestare possent homines, ut suo
Vellént carere.

IV. Nunquam primo versus pede sententia in superiore versu coepta finitur [1]), sed certe usque ad thesin alterius pedis continuatur. Huius autem rei inveniuntur, ni fallor, duodecim exempla, e quibus novem sunt talia, ut verbum solum in alterum versum reiciatur, velut I, 20, 5:

sed rupti prius
Periére, quam quod petierant contingerent.

I, 23, 7: Namque ísta subita me iubet benignitas
Vigiláre, facias ne mea culpa lucrum.

Cf. I, 27, 3. III, 10, 19. 20. 16, 3. V, 7, 25. App. 11, 8. 27, 4.

Paulo differt I, 29, 7: similem si negas
Tibi me ésse, certe similest hoc rostro tuo.

Subiectum autem modo bis primus amphibrachys proximi versus complectitur:

I, 14, 5: Hic cúm iaceret morbo confectus gravi
Rex úrbis, eius experiendi gratia
Scyphúm poposcit.

V, 728: iactat basia
Tibícen; gratulari fautores putat.

De IV, 25, 23 vide quae modo exposui.

Haec res fefellit Luc. Muellerum, cuius aures alibi in re metrica tritissimas esse concedo: admisit enim in *Phaedri fabulis novis* in versus redactis:

XV, 6: Quos cónspicatus unus, qui se dixerat
Regém, continuo iussit ad se pertrahi.

XVII, 2: Humánam in speciem cum vertisset Iuppiter
Vulpém, legitimis paelex ut sedit toris.

---

1) Unum exemplum, quod tamen ne ipsum quidem valde offendit, huic legi repugnat: IV, 26, 24: cuidam servolo
Mandánt, ut ad se provocet Simonidem.
ubi sententia finalis obiecti loco fungitur.

quales versus Phaedrum vix scripturum fuisse iudico. — Quanto igitur hac in re differt ab antiquiorum arte, quos vel prima thesi insequentis versus sententiam superioris saepius concludere supra vidimus. Pendet hic usus sine dubio ex Phaedri poesis natura, quippe quae amet summam simplicitatem et perspicuitatem orationis.

V. Quomodo Seneca tragicus sententias singulas inter versus distribuerit.

Longe alias leges atque Phaedrus in sententiis inter singulos versus distribuendis Seneca [1]) tragicus sibi statuit. Nam ut ille amat una cum metro sententiam finire, ita huic placet sententias cum versibus modo congruere, modo certare. Atque ut illius consuetudinis causas ex Phaedri poesis natura repetendas esse dixi, ita huiusmodi variationem postulat dolor tragicus. Sed iam videamus singula conemurque, si quas certas leges possimus investigare.

Ac primum quidem sensu arte cohaerentia per versus finem dirimere Seneca non dubitavit. Rem comprobent haec exempla:

Phaedr. 358: quonam in loco est
Regína?
1008: nullus inspirat salo
Ventús.
178: sed furor cogit sequi
Peióra.
387: Removéte, famulae purpura atque auro inlitas
Vestés.
425: dedit
Tempús locumque casus.
427: haud est facile mandatum scelus
Audére.
623: summus hoc omen deus
Avértat.
Troad. 925: vix lacrimas queo
Retinére. (Cf. Med. 548.)
Med. 763: Et Híster, in tot ora divisus, truces
Compréssit undas.
Herc. fur. 400: pauca pro causa loquar
Nostrá.
728: oblitos sui
Scelerís nocentes debitas poenas dare.

[1]) Usus sum edit. Fr. Leonis.

746: scelera taxantur modo
Maióre vestra. (Cf. 928.)
Troad. 42: respice infelix ad hos
Luctús recentes. (Cf. Phaedr. 713. infra laud.)
Phaedr. 542: venit imperii sitis
Cruénta.
125: Per nós catenas vindicat Martis sui
Suásque.

Tum videamus quantum spatii debeat oblinere vox aliqua, quae aut sensu ad superiorem versum pertinens, insequentis versus initio inserta est, aut sensu ad insequentem versum pertinens, in fine superioris versus extat. Illius rei haec pono exempla:

Phoen. 329: Et ábstineri sanguine a caro manus
Doceám? magister iuris et amoris pii
Ego súm?
491: in quo est optimum
Vincí. vereris fratris infesti dolos?
Med. 145: arto pignore astrictam fidem
Dirimít.
217: decore regali potens
Fulsí: petebant tunc...
459: exuli exilium imperas
Nec dás. eatur. regius iussit gener.
Phaedr. 1040: hinc flammam vomunt
Oculi, hínc relucent caerula insignes rota.
Agam. 988: Abstrúsa caeco carcere et saxo exigat
Aevum, ét [1]) per omnes torta poenarum modos
Referre quem nunc occulit forsan volet.
Phaedr. 680: Cur déxtra, divum rector atque hominum, vacat
Tua néc trisulca mundus ardescit face.

Apparet igitur, si minimum perpendas, disyllabon postulari. Ex quo perspicuum est prima thesi versus tum modo sententiam in superiore coeptam finiri posse, cum aut vocabulum in alterum versum translatum eliditur (ut Phaedr. 1040. Agam. 988 alibique interdum), aut versus ab anapaesto incipit (cf. Phaedr. 680, qualia exempla ultra non inveni). Quod si fit, post pyrrhichiam vocem gravem distinctionem non ferendam esse monuit Fr. Leo (observ. crit. p. 59), qui Herc. Oet. 906, ubi olim legebatur:

Ter párricida factus ignovit tamen
Sibi: nám furoris fonte Cinyphio scelus
Sub áxe Libyco tersit.

[1]) *et* om. libri interpolati.

summo iure ex optimo codice restituit:

ignovit tamen
Sibi, nón furori: fonte Cinyphio . . .

Praeterea observare licet, id quod Senecae proprium videtur, voces hoc modo in alterum versum translatas, ad sensum quod attinet, non semel magnam vim habere, fere nusquam autem omni vi carere: velut nullum apud Senecam invenies exemplum, ubi verbum substantivum solum alteri versui inseratur. Huius rei unum tamen extat exemplum in Inc. auct. Octavia 870:

ut ne inexpugnabilis
Essét, sed aegras frangeret vires timor
Vel poéna.

Vocis, quae sensu ad insequentem versum pertinet, in antecedentis fine extantis haec exempla mihi visa sunt dignissima quae afferrentur:

Herc. fur. 984: saeva Tisiphone, caput
Serpéntibus vallata...
1026: cernere hoc audes, nimis
Vivâx senectus? si piget luctus, habes
Mortém paratam.
Med. 436: si mori nollem, fide
Miseró carendum.
570: Est pálla nobis, munus aetherium [1]), domus
Decúsque regni.
Phaedr. 713: Abscéde, vive ne quid exores, et hic
Contáctus ensis deserat castum latus.
Thyest. 221: Quid ením reliquit crimine intactum aut ubi
Scelerí pepercit?

Videmus igitur ab extremo iambo novam sententiam incipere posse. Et incipit hoc loco multo saepius quam ab ultimo cretico, qua in re Seneca ab antiquis valde differt. [2]) Sed hic quoque valet ea lex, ut vocabulum sic antecaptum aliquam vim accipere posse debeat [3]). Itaque coniunctio aliqua ut *quia modo nisi* etc. in fine versus non admissa est. Una vero exceptio statuenda est: nam coniunctione adversativa *tamen* ter videmus sententiam novam in fine metri introduci:

Oed. 697: Num audíta causa est nostra Tiresiae? tamen
Sontés videmur.

---

[1]) *aethereae* (!) libri interpolati.

[2]) Causa huius rei patet: scilicet Seneca iambicam vocem in fine versus creticae multo praefert.

[3]) Quamobrem ne adverbium quidem relativum *ubi* (cf. Thyest. 221) quaeque sunt talia saepe in fine occurrunt.

Herc. Oet. 1028: si mori pateris, tamen
In matre peccas. (cf. Troad. 534.)

Cuius rei causa facile apparet: coniunctio *tamen* minime caret vi, immo saepe debet graviter in aures cadere.

Quae cum ita sint, possumus constituere Senecam, ut omnia fere, ita hanc quoque sententias inter singulos versus distribuendi rationem rhetoricis legibus esse moderatum.

Vita.

Natus sum Aemilius Guilelmus Appuhn Hannoverae anno MDCCCLXX a. d. VI. Kal. Oct. patre Ernesto matre Mathilda e gente Uellner, quos adhuc vivere gaudeo. Fidei addictus sum evangelicae. Mandaverunt me parentes primo gymnasio reali I quod dicunt, fere quinque annis post gymnasio Lyceo I. Inde vere anni MDCCCLXXXIX maturitatis testimonio instructus Gottingam migravi, ubi per sexies sex menses operam dabam studiis philologis. Ibi me docuerunt viri doctissimi Baumann Bechtel Heyne Leo Roethe Sauppe de Wilamowitz-Moellendorf. Interfui proseminario ac seminario Germanico et proseminario philologo. Ad Plauti studium primus me adhortatus est Fridericus Leo. Tum adii almam matrem Marpurgensem; ubi audivi viros doctissimos Bergmann Birt Cohen Dieterich Koester Schroeder de Sybel Wissowa. Sodalis ordinarius eram seminarii philologi, quod tum moderabantur Theodorus Birtius et Georgius Wissowa, per bis sex menses, seminarii Germanici, quod sub auspiciis Eduardi Schroederi et Alberti Koesteri florebat, per ter sex menses. Plautinis meis studis benigne favit Theodorus Birtius, qui ubi aberrabam, ad rectam viam me revocabat. Omnibus meis praeceptoribus gratias ago maximas.